



DISSERTATIO THEOLOGICO-CRITICA,

De argumenti, ex Breviario Romano
in rebus Historicis, petiti
valore.

QUAM



Rmo. DOMINO PATRI
GUILIELMO CLARKE,
Societatis Jesu, Catholicæ Majestatis
à Confessionibus, & Conciliis,


D. O. S:

D. DIDACUS DEL CORRO,
Ecclesiæ Metropolitanæ Hispalensis.
Portionarius.

HISPALI,

Ex Typographia D. Florentii Josephi de Blas, &
Quesada, ejusdem Civitatis Typographi
Majoris.

2007



R^{me} DOMINE.



Uibus singulis , ad of-
ferendos Præclarissimis Viris studio-
rum
§ 2

rum suorum fructus, moveri homines consueverunt ; iis Ego in præsentia, R^{me} Domine, ad dedicandum tibi hoc opusculum commoveor universis. Cùm enim vel generis , dignitatisque amplitudo , vel doctrinæ excellentia, vel virtutes ipsæ , vel accepta beneficia , vel demum opera ipsa, in ejusmodi Patronis feligendis spectari soleant, hæ omnia ita in Te convenisse video, ut in aliis vix divisa , ac separata mihi liceat invenire. Familiæ tuæ nobilitatem , splendorēm qui non noverunt, eos necesse est, in summa rerum omnium ignoratione versari. Qui noverunt, ita consti- tuunt, dubitandum esse, plus ne decoris, atque splendoris à Majoribus tuis ad Te pervenerit ; an à Te plus illis, virtutum , literarum ve meritis, & hac ipsa tua amplissima dignitate referatur. Doctrinæ tuæ copiam , at- que

que excellentiam quis non prædicat? Non hic mihi testes advocandæ sunt Gregoriana Academia, & Societas ipsa, cui à teneris nomen dedisti, Sapientiæ Arx, Scientiarumque omnium Lycæum: quæ cùm ad eas, tanquam ad Mercatum bonarum Artium accurreris, cùm ingentem tibi maximarum Facultatum supellectilem comparaveris, ingenii tui subtilitatem, judiciique perspicaciam, & latissimam quamdam mentis capacitatem suspexerunt. Perpexit Roma, hoc est, omnium Gentium Theatrum, sapientiam tuam. Miratur Societas, stupet Hispania nostra omnem, Religioso Viro dignam, eruditio nem: quæ in dies illustrioribus argumentis declaratur, quàm ut exterrarum Nationum testimoniis probanda sit. Admirantur omnes excellam illam cum scientiarum omnium cogni-

cognitione prudentiam ; nobilissimo
inter se nexu fœderatam , quam in
Rerum publicarum tractatione à Te
adhibitam , extendunt dictis. Quæ
quidem animi dotes , quanto homi-
nibus admirabiliores accidunt , & com-
mendatores , maximarum conjunc-
tione virtutum ? Nolo , ne tuis auri-
bus gravis sim , multus esse. Hoc
enim fieri videmus , ut qui maximè
laudes merentur , cùm eas audiunt ,
summa molestia afficiantur. Quam
obrem nihil dicam de summa pieta-
tis , & sapientiæ laude , qua Privatus
Societatis Jesu præclara munera exe-
quutus es. Nihil de prudentia , de
justitia , vigilantia , qua emicuisti , cum
Superior effectus ejus Collegia gu-
bernasti. Nihil denuo de illa mentis
acie , atque excelsitate , de illisque he-
roicis virtutibus , cum scientiarum
omnium cognitione conjunctis : quæ
in

in causa fuerunt, ut Philippus V. post
hominum memoriam Rex optimus,
& prudentissimus, religiosissimam
suam conscientiam, Tibi summa His-
panorum omnium lætitia, summa
cæterarum Nationum approbatione
tradiderit gubernandam. Illud verò,
quod lucis suæ magnitudine in om-
nium oculos subito incurrit, quod
mirantur omnes, omnes amant, ta-
citus præterire nullo modo possum.
Nam quis ad astra non tollit tuam
istam in summa nobilitate, sapientia,
dignitate moderationem, quæ inter
virtutes tuas, cùm multæ sint, quæ-
dam velut Regina dominatur. Se-
quitur Fortunam ambitio, res secun-
das arrogantia comitatur: Tu man-
suetudinem amas, Tu humanitatem,
Tu temperantiam perpetuò retines.
Nihil in vitæ tuæ ratione, nihil in
rerum publicarum administratione,
quod

quod ambitionem redoleat, nihil non
ad modestiam, Religionemque com-
positum animadvertis. Quibus
rebus omnibus, quæ à me hactenus
levi penicillo adumbratæ sunt, diffi-
cile dictu est, quantum totam Euro-
pam illustres; sed præcipuè Hispa-
niam nostram, quæ, cùm præstantif-
simorum Virorum copiâ semper flo-
ruerit, peculiare tamen ornementum
in Te constitutum sibi esse, arbitra-
tur. Quo fit, ut omnes maximas
Tibi gratias habeamus; referre verò
pares nunquam possimus. Atque
Ego quidem, cùm ob has causas pro
virili Tibi obstrictus sim; tum quæ
privato nomine debeo recensere vix
possim. Tu me summa semper hu-
maniste complexus es. Tu patroci-
nio tuo rationes meas adjuvisti. Tu,
quod caput est, in fidem, & cliente-
lam tuam me recepisti: qua quidem
re-

re nihil mihi aut utilius, aut honorificentius accidere unquam posse, semper duxi. Quod si Opusculum ipsum considerem, Te perculiari jure Patronum, & Protectorem etiam, atque etiam exposcere sentio. Cùm enim sententiam illam ex professo tractare, & rationibus firmare in eo, statuerim, quæ per universum de Actis Sanctorum immensum Opus vagatur, & cuius causa Clarissimus Vir sapientiæ singularis, humanarum, & divinarum Literarum scrinium vivens dixerim, P. Daniel Papebrochius nuperrimè adverso Apolline exagitatur, cui potissimum inscriberem Opus, quàm illi, cui Instituti, & Professio-
nis societas, & operis adeò præclari amor, & existimatio, & ipsarum rerum, quæ tractantur, singularis cognitio, cordi maximè semper fuit. Quo quidem in loco tacitus præteri-

re cogor excellentissimi operis merita laudes. Taceam idcirco à plurimis catholicis Viris *Sanctum* fuisse appellatum, de Actis Sanctorum hominibus, & Divis gloriosum Opus. Si leam à pluribus aliis *Totius Societatis Opus* vocatum fuisse: quodque etiam si nullum aliud protulisset, sufficeret ad maximam ejus in Catholica Ecclesia utilitatem, & necessitatem luctucentissimè offendendam. Non dicam Catholicos omnes, quibus Religionis amor cum politioris literaturæ cognitione est conjunctus, vehementer mirari, quod ante Heribertum cogitaverat nemo, Sanctorum Acta à duplice incredulitat̄, & credulitate nimiæ vitio vindicata. Stupent, suspiciunt, prædicant, ibidem propriis veritatis coloribus Sanctorum Acta splendescere. Admirantur stabilita gravissimis rationibus, invictis mo-

numen-

num entis pariter probata, & eviden-
ter ostensa ea, quæ Acatholicorum
hominum incredulitas ab ipsis expu-
lerat. Nec minori admiratione sus-
piciunt ablatos nævos, quibus credu-
li homines, & superstitiosi ea spurca-
verant. Quid verò infensissimi Ca-
tholici nominis hostes de Opere adeò
præclaro senserint, quibus illud orna-
verint Laudibus, quantùm inter Scrip-
tores nostri fæculi, Hipereritici, veri-
tatis ipsius vi convicti, illud Laudave-
rint, prætereo. Quæ quidem omnia
invitissime me omisisse fateor, ne in
ore vindicantis aliquas excèlentissimi
Operis fententias Laus vilescat: neve
ingenioli mei tenuitate, quod sen-
tio quàm sit exiguum, dicendive
inscitia promeritæ Laudes minuan-
tur. Patere igitur, R^{me} Domine, hoc
Opusculum, tot nominibus debi-
tum, à me Tibi dicari, quod non

apud

apud Te solum, sed etiam apud alios,
existat obsequii erga te mei, obser-
vantiae ac servitutis perpetuum mo-
numentum. Vale.

REVERENDISSIME DOMINE

TUÆ R^{me} DOMINATIONIS

Devotissimus Servus, & Cliens

D. Didacus del Corro.

CENSURA

Rmi. PATRIS M. FR. AUGUSTINI NARVAEZ
& Carcamo, Ordinis Fratrum Deigenitricis, ac Virgi-
nis MARIÆ de Monte Carmelo Antiquæ Regularis
Observantiae, in Sacra Theologia Doctoris, Supremæ
Sanctæ Inquisitionis Senatus Qualificatoris, Conven-
tuum Astensis, ac Magni Hispalensis olim Prioris,
semel atque iterum ejus Provinciæ secundi, ac primi
Definitoris, necnon Provincialis, ac Commissarii,
Visitatoris Generalis, pro Capitulo Generali ad Ro-
manam Curiam Electoris, ac Generalis Definitoris,
& tandem suæ Provinciæ Bæticæ Patris, & De-
finitoris perpetui.

Ingenti (quam vix animus capit) alacritate, sum-
mâque cordis lætitia legi, ac perlegi, ac legendō
obstupui Dissertationem D. D. Didaci del Corro,
Almæ hujus Cathedralis Hispalensis Ecclesiæ Por-
tionarii, à Doct. D. D. Antonio Fernandez Raxo,
ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Canonico, & Vicario
Generali Diœcesis Hispalensis, ad manus meas missam,
virgâ censoriâ recolendam. Ast cùm illam virga æqui-
tatis metiri vellem, fateor cum Zachariâ, *Virgam meam
præcisam.* (c. 11. v. 14.) Sufficiebat sanè esse hujus Me-
tropolitanæ Ecclesiæ Hispalensis Alumnum, & in Cho-
ro tot Stellarum ad virtutem non minùs, quàm ad
Sapientiam Erudientium multos, lucere, ut Opus sibi
metipsi, absque ullâ censurâ, laus simul, & approbatio
foret. Sufficiebat etiam superscriptio Authoris, quem
ab infantia agnovi Deum ipsum, Sacra Eloquia
investigantem, promptamque in ejus animo Divinis
Eloquiis obedientiam parantem. Ast pro omnibus sibi
met sufficit idem Opus; quasi miraculum enim habet
vocabum suam, notoque omnibus idiomate loquitur. An-
tiqui-

tiquitus in Rationali Sacerdotis erant inscriptæ , *Doc-
trina, & Veritas*, (Exod. c. 28. v. 30.) & respicientes
solum pectus Sacerdotis, fiebant omnes certi verita-
tis. Modò veritas cujusque rei ita solet obscurari , ut
non nisi longis , iteratisque laboribus valeat inveniri.
Fortassis propterea : *Quid est veritas?* (Joan. c. 18. v.
38.) Servatorem nostrum Pilatus interrogavit. Nam
Mundum tradidit Deus disputationi eorum , ut non in-
veniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio us-
que in finem. (Eccles. c. 3. v. 11.) Præcipua, imò unica
Historiæ basis est veritas; hæc autem cum ex veteribus
monumentis, veluti ex tenebris, hauriri debeat, multisque
velis cooperta lateat, sæpe sæpius accidit , unum, aut
alterum discooperiri velum, altero immoto relicto, do-
nec nova in dies ingeniorum solertia, novique in evol-
vendis, comparandisque Historiis labores, nudam, dis-
coopertamque veritatem proponant. Hic , ut opinor,
est Correctionum Breviarii scopus , quas in Historicis
tantùm frequenter in lucem prodire experimur ; nam
hoc est venerandæ Imagini Veritatis unum & alterum
velum diripere , donec novâ oculatissimæ Apostolicæ
Sedis indagine Fidelibus in Breviario nuda relinquatur.
Hæc etiam est Authoris indago in Breviarii fide dis-
quirenda ; nam id quod Divinum est , & Dogmaticum
ad Dissertationem supponens , solum , quod merè est
Historicum, ad disputationem assumit, illud Sacri Evan-
gelii secutus: *Duo erunt in agro: unus assumetur , &
unus relinquetur.* (Matth. c. 24. v. 40.) Nam cum in
agro Breviarii uberrimo Dogmaticum simul & Histo-
ricum reperiatur, primum in summifissima obedientia,
ac veneratione, quam omnes Catholici debemus , re-
linquit, & solum secundum pro veritate enucleandâ in
disputationem vocat. Hic Authoris eruditæ labor , hæc
studia, hæc in SS. PP. Conciliis, & antiquis monumen-
tis infatigata lectio, ut sanè mirari quis possit, quomo-

do in vita adeò brevi, ars ita longā percurri potuerit? Sed quid non supplent continuum studium, & bonum ingenium, qualia in Authore quotidie non sine admiratione conspicio, libris incessanter vacante? Ad quod non parùm conducere arbitror studium pluribus annis in Urbe habitum, ubi harum, & similiū difficultatum frequentē disquisitionē, lucem in posterum habendis præbere, verisimile est judicare; & maximè cùm Authoris Circus fuerint Celeberrimæ illius Romani Collegii Aulæ, ubi tot Gladiatores strenuissimi in Sacré Jesu Societate adscripti, certamen Candidatis, ut Victores esse discant, aperiunt. Hac de causâ laudo in omnibus, & in hoc maximè, Authoris gratitudinem in dicandis hisce laboribus tam Supremo eruditionis Coryphæo, tam consummato Sacræ Historiæ Interpreti, tam inclyto omnium literarum Principi, & (uno verbo) tam vero Societatis Jesu filio; in cuius pro detegenda veritate labore posuit Author, ejus Mæcenati, quod D. Lucas suo Theophilo, dicere: *Visum est & mihi a seculo omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* (Actor. c. i. v. 3. & 4.) Hæc pro votis meis sufficient. Ad Censoris munus accedens, nihil in hac Dissertatione sinistrum, nihil orthodoxæ fidei contrarium, nihil Sacris Dogmatibus incongruum, nihil à bonis moribus devians; imò pleraque Catholicis Lectoribus grata non minùs, ac utilia post attentissimam disquisitionem me adinvenisse pronuntio. Nulli equidem ex sententiis hujus controversiæ præjudicium mea censura vellem; sed tamen fateri cogor Authorem luculentissimè rem perdifficilem probasse. Prætereaque cùm nihil sit, quod non sit aureum, censeo prælo, & immortalitate dignum. Ita subscribo in hoc majori Carmelo Hispalensi Kalendis Februarii, anni M.DCCXXXIX.

M. F. Augustinus Narvaez & Carcamo.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

EL Doct. Don Antonio Fernández Raxo, Canoni-
go de la Santa Metropolitana, y Patriarchal Igles-
ia de esta Ciudad de Sevilla, Provisor, y Vica-
rio General en ella, y su Arzobispado , por el
Arzobispo mi Señor,&c. Por el tenor de la presente,
y por lo que toca à la Jurisdiccion ordinaria Eclesias-
tica, doi licencia para que se pueda imprimir , è im-
prima un libro intitulado : *De Argumenti ex Brevia-
rio Romano in rebus Historicis petiti valore* , escrito
por el señor Don Diego del Corro, Prebendado de di-
cha Santa Iglesia, atento á no contener cosa contra N.
S. Fè Catholica, y buenas costumbres , sobre que ha
dado su Censura el R. P. M. Fr. Augustin Narvaez y
Carcamo, del Orden de Nra. Señora del Carmen de
Observancia, ex Provincial de esta Provincia , con tal,
que al principio de cada uno, que se imprima, se pon-
ga dicha Censura, y esta licencia. Dada en Sevilla en
ochos de Abril de mil setecientos y treinta y nueve
años.

Doct. D. Antonio Fernandez Raxo.

Por mandado del Sr. Provisor.

Francisco Ramos,
Notario.

CEN-

CENSURA

D. D. JOSEPHI XUAREZ DE ESTRADA
in Sacrario Alme Ecclesiæ Metropolitanae Hispalensis
Animarum Pastoris, & Regalis Societatis Socii Theologi.

EX Authoritate, & Decreto D. D. L. Hieronymi Antonii de Barreda & Yebra, Ecclesiæ Compostellanæ Canonici, Hispalensis Inquisitionis, & Typographorum ejusdem Civitatis Judicis integerrimi Censor constitutus, accuratè perlegi *Dissertationem Critico-Theologicam de Argumenti ex Breviario Romano in rebus Historicis petiti, valore, luculenter elaboratam ab ingenioso Viro D. D. Didaco del Corro, Ecclesiæ Metropolitanae Hispalensis Portionario.* Illud autem manus tantò mihi gratius acceptum, quanto dignius amicitiâ officium est. Ast *Dissertationem* cùm in limine vidi ex amicitiâ, & reverentiâ propter rei magnitudinem timui: cùm illam ingredior, & ipsius perlustro compaginem, & ordinem, visâ pari successus magnitudine stupeo. Quanta rerum, & controversiarum in uno Opere multitudo! Quanta in eâ multitudine methodus! Quanta in ipsâ methodo perspicuitas! Quanta in ipsâ perspicuitate subtilitas, & profunditas! De Authore dictum existimavi, quod apposité Trajani Encomiastes dixerat: *Magna Fama præcesserat: major inventus est: summa est Facultas, Copia, Ubertas. Multa Lectio, multa Scriptio elucet; prœemiatur aptè; narrat apertè; pugnat acriter; colligit fortiter; postremò docet, delectat, & afficit.* Ac demum adeò solidé, & circa justam ullius offenditionem asserta propugnat, ut meritò ejus Opus Davidicæ Turri debeat comparari, quæ ædificata est cum propugnaculis; sed additis aliis à recenti Artificis manu, quibus jam inexpugnabilem ve-

neror: etenim mille clypei pendent ex eâ; & omnis ar-
matura fortium.

Opus igitur, quod Authoris est indicium, in ipsa
fronte, seu titulo libri iuxta monitum Casiodori præbet
Indicem five argumenti summam: *De Argumenti ex
Breviario Romano in rebus historicis petiti valore.* In eo
totus est Author, ut ostendat, ejusmodi argumentum pe-
titum ex privatis factis, aut gestis, quæ in Vitis Sancto-
rum ex occasione referuntur, non prævalere, nec omni-
no efficax fore, aut inevitabile esse; haud enim Ecclesia,
quæ ipsis utitur, inconcussæ judicat veritatis, quæcumque
hujus generis Breviariis sunt inserta; sed fidem illorum
ex antiquioribus monumentis, ex quibus eruuntur, pen-
dere: nec ex usu Ecclesiæ accipere certitudinem, aut
illicò putanda esse ab omni historica aberratione libera;
sed examine egere, quin imò nec suis omnino carere næ-
vis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium.

En totam operis seriem. Nil minus citra arrogan-
tiæ, aut temeritatis vitium ausus est affirmare sapientissi-
mus Cardinalis Vicentius Maria Ursini, Dominicanus,
Archiepiscopus Beneventanus, postea Benedictus XIII, in
Dissertatione *de Reliquiis S. Bartholomæi, Benevento
vindicatis*, art. 7. Cui maximè confidit Sousa pro Ex-
peditione Hispanica S. Jacobi, part. 3. assert. 51. vbi in
Vincentio additum fuisse, ait. illius defensoribus invictissimum
Colophonem. Hic, inquam, Christianæ Militiæ Im-
perator in eodem art. & Dissertatione, cùm dissertè ne-
gaverit, præfatas Reliquias unquam fuisse Benevento
translatas Romam; quod tamen in Breviario legitur, ad
hujus objectam sibi autoritatem respondet. Illud maxi-
mæ quidem authoritatis esse in iis, quæ per se ad
cultum ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis
esse in privatis factis aut gestis; quæ in Vitis Sancto-
rum ex occasione referuntur; ita ut efficax argumentum
inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumen-

ta aduersantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quæ illis utitur, inconcussæ, infallibilisque veritatis judicat, quæcumque Breviariis sunt inserta; cum multoties, pro variis temporibus, varia ex occasione ea mutaverit, correxeritque. Testatur id Concilium Senonense de anno 1528, quod, ut Breviaria & Missalia emendarentur, decreto sanxit: testatur Concilium Colonense de anno 1536, cui hoc idem decernere placuit; ac demum Concilium Rothomagense anni 1581, & Concilium Rhenense anni 1583 decernunt, ut quam diligentissime à falsis narrationibus Breviaria repurgentur. Quæ omnia argumento sunt, non illico putanda esse ab omni aberratione historica libera Breviaria, sed magna plerumque spongia egerre, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia. Imò nec suis omnino carere nævis Clementino-Urbanum, quo utimur, Breviarium, doctissimi historiarum exploratores judicant, cujusmodi sunt. I. Marcellini Pontificis cultus idolis exhibitus, ejusque pænitentia in Concilio Sinuesso: : : II. Lectiones non paucæ, ex iis Sanctorum Patrum libris petite, qui ex gravissimo Critorum judicio apocryphi reputantur. III. Symbolum, Quicumque vult salvus esse, S. Athanasio in hodiernis Breviariis adscriptum, quod illius non esse eruditissimi plerique consentiant, quamvis cuius determinatè sit authoris, non ita inter se congruant. IV. Canticum Te Deum laudamus, SS. Ambrosio, & Augustino adscriptum, cum Sisebuto Monacho ab eruditis vindicetur, ex veteri Casinensis cœnobii Breviario & Codice Ms. Vaticanæ bibliothecæ, à Card. Bona recensito. Et verò Cardinalem Baronium non absolutissimam in rebus historicis fidem Rom. Breviario tribuisse, certissimum est. Aurea profectō verba, & inter ea præsertim notanda clausula illa, Ita ut efficiax argumentū inde peti non possit. Quæ difficultatis nucleus comprehendit, & est veluti centrum, vel punc- tum, universam Dissertationis nostræ summam exhibens.

Ultra prælaudatum Doctorem poterant sanè & alii de re Scriptores allegari, qui Nostrum fortasse ab hac mole movenda deterrent, vel à proposito cursu retardarent; verùm cùm animadversum sit, vix ullum ex antiquioribus hunc pulverem decurrisse ad metas; sed brevibus dumtexat quæstiunculis leviter, & sparsim paucula delivasse, id causæ fuit, cur ob Scriptorum multitudinem à cæpto non desisteret, vel opus hòc æternis tenebris non damnaret; quinimò ei manum adhiberet, in quo ex ipsis Doctoribus, quasi ex copiosissimis Auri-fodinis eruendo, talia congerit, quæ habent, teste Casiodoro, *seorsim distributa admirationem, conjuncta miraculum.* In iis verò, adhibita judicii lima ita scriptiō-nem attemperat, ut quæ per se ipsa satis essent perspicua, non attingat: quæ faciliora erant; sed morsam aliquam adferre poterant, verbo uno tangeret: ita denique lucem obscurioribus afferre nititur, ut nec nimis fusa tractatione tædium pariat, nec nimis brevi res obscurari sinat. At sicubi præclara aliqua sepe objicit difficultas, quæ compendio expediri non possit; sed longiorem sermonem exposcat, à propositâ brevitate alienum non existimat, si eam, quantum satis est, ita exutiat, ut veritas exprimatur: ne quis ab eo queri valeat, vel declinatas studio difficultates, vel non pro dignitate, aut rerum momento expensas.

Ad rem ergo, ut qua pars est rectitudinē, censoria virgula admoveatur, illud equidem perlecto. Opere candidè affirmare debeo: in his, quæ differit Author, veritatis scopum attigisse, & quam tuetur, sententiam, ex limine probabilitatis, quo fulciebatur, ad historicæ certitudinis gradum fuisse evectam: deinde nil per eam Authoritati Ecclesiæ derogari; quinimò maximam, quæ ipsi debetur, reverentiam, & observan-tiam exhiberi: tandem longè magis piam esse, quam oppositam, si de pietate solidè vera, & non apparente,

loqui

loqui deceat. Hæc omnia mihi percurrenta erunt; viā tamen aliquantò diversā ab eâ, quam premit Author.

Ostendo jam primum, ex præcitatis verbis Benedicti, quem veluti *Magnum Duce*, & *invictissimum Colophonem* semper præferimus: nam cùm multoties Ecclesia pro variis temporibus, varia ex occasione mutaverit, correxeritque facta privata, aut gesta SS. Breviariis inserta, rectè concluditur, ea non inconcussæ, infallibilisque veritatis reputari, sed minoris ponderis esse, ita ut efficax argumentum inde peti non possit: veritas enim sine mutatione constans omnino, & invariabilis semper debet permanere. Conclusionem istam certitudinem quandam historicam attingere, utpote deductam ex principio historicè certo, probat Dialecticæ regula, qua præscribitur, *ex vero non nisi verum licitum esse affirmare*: nam principium illud iteratæ Breviarii correctionis, unde liquidò fluit prælaudata conclusio, est omnino verum, & Historicè certum: cum triplicem factam fuisse Breviarii emendationem circa Historias in eo contentas, res fuerit adeò perspicua, ut in dubium verti non possit. Id videre licet ex integro cap. i. nostræ Dissertationis, & ex Bulla Urbani VIII. Breviario præfixa: qui postquam causas aliquas commemorasset, quæ quondam impulere Sum. PP. Prædecessores suos Pium, & Clementem, ut Breviarium corrigerent, ac decori pristino restituerent, deinceps subjungit: *Nos quoque in eandem cogitationem traxere, & solicitude nostra erga res Sacras, quas primam, & optimam partem muneric nostri censemus, & Piorum Doctorumque virorum judicia, & vota, conquerentium in eo contineri non pauca, quæ sive à primo nitore institutionis excidissent, sive inchoata potius, quam perfecta forent ab aliis, certè à Nobis supremam imponi manum desiderarent.*

Ex his tamen postremis Urbani verbis in Breviario scilicet contineri non pauca, quæ supremam impo-

ni manum desiderarent, insurgunt Adversarii, nitentes respondere, rationem nostram optimè concludere de Historiis in Breviario contentis ante Urbani emendationem. At post recognitionem Urbani, quam non dubitant *Authenticam* appellare, jam perfectum Opus esse, & quod in votis erat, ad optatum exitum perductum, ut in præfixa Bulla exprimit ipse Urbanus: *Unde purissimum sit necesse est, omnique, vel minima carens labe illud Breviarium :::: quod est recentius, à quo absunt navi, qui in Breviariis antiquioribus observabantur intrusi negligentia Typographorum, vel aliorum: ut loquitur Noster Sousa num. 2768, & 2789. cum Illmo. Sausay, qui id ipsum affirmare subindicat, in Panop. Clericali, lib. 2. cap. 4 tit. Regule positivæ: Non abnui-
mus, inquit, in Rituales Libros, Officiaque Ecclesiasti-
ca (loquitur ante emendationem Urbani) illapsas ali-
quot labes Amanuentiam vitiò, Typographorum oscitan-
tia, privatorum quorundam audacia, & temeritate, qui
nativam eorum seriem suis additamentis, vel detractio-
nibus, ac depravationibus, etiam sub specie pietatis alte-
rare præsumperunt, quas Ecclesia Romana corruptelas
probavit numquam, & ideo (loquitur modò post Ur-
bani correctionem) suis è libris ejusmodi Sacris erasit
mox, ac deprehendit.*

Verùm id vanè prorsus videtur cogitatum: ne-
que enim in verbis Urbani, aut usquam alibi, legimus
emendationem *Authenticam* pronuntiatam, uti facile erat
demonstrasse, si res ita se haberet: neque hujus exem-
plar errorum omnino expers Pontifex declaravit, aut
nulla amplius castigatione egere judicavit; sed tantum-
modo exposuit laborem, studiumque, aut opus emen-
dationis inchoatum ab aliis, quod in votis erat perfic-
cere, & in eo Eruditi, & Sapientes Viri suam serìo cu-
ram contulerunt, ac ipse sedulam operam navavit, de-
mum absolutum fuisse, & ad optatum exitum perduc-
tum,

tum, sicutque *perfectum*; non ita tamen, ut opus denuo emendatum, quod est Breviarium, omnino purissimum, & emaculatissimum evaserit; nam de ipso opere, seu studio castigationis *gratum omnibus, Deoque, & Sanctæ Ecclesiæ honorificum fore* tantum speravit Urbanus; omnibus verò sequendum minimè præcepit; sed dumtaxat proposuit, dum Breviaria Pii V, & Clementis VIII. noluit prohiberi. Unde ex tam magno labore, accurataque diligentia haud quaquam elicitur, quod si aliquando bene visum fuerit Ecclesiæ, non possit res ista deinceps iteratis curis perfici, & ulterius emendari; cùm id fuerit nunquam ab Ecclesia proscriptum.

Esto tamen *Authentica declarata* fuisse aliquando emendatio Urbani, nil impedimenti erat, ut in ejus Breviario, superessent adhuc labes quædam, quæ ulteriori recognitione dignæ forent; quinimò nec *suis omnino carere nævis Clementino Urbanum quo utimur Breviarium* dissentè pronuntiat Benedictus: quod facile est evincere insolubili paritatè, Emendationis, aut Editionis Vulgatæ Sacræ Scripturæ, quæ licet pro *Authentica habeatur* ex Tridentini Decreto, hoc non prohibet, quominus in ea reperiantur nævi, aut labes quædam ulteriori recognitione notandæ, quæ ex collatione cum textu primitivo authoritate Ecclesiæ corrigi possunt. Eas in promptu erat singulatim exhibere, brevitati tamen studens, contentus ero, tantum refferre, quæ id ipsum generatim probant.

Rem videntur concludere iteratæ emendationes factæ post Concilii Decretum: nam paulo post Tridentinum Biblia Plantinianæ Editionis, ad fidem vetustissimorum manuscriptorum excussa; sunt judicata a Sapientibus præ aliis castigatissima, & nihilominus Sixti V. Pontificis iussu plurimis adhuc mendis ex eadem Editione expunctis, nova, & castigator Editio prodiit, ut habetur in Constitutione ab eodem Pontifice hac de re

edita anno 1589. De Apostolice Authoritatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam Vulgatam Sacram tam Veteris, quam Novi Testamenti Latinam Editionem, quæ pro Authentica à Concilio Tridentino recepta est sine ulla dubitatione, ac controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam in universa Christiana Republica, atque in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis, legendam evulgamus. Post hujus eximiam operam existimanda erant Biblia correctissima, & omnibus erroribus repurgata. At cum non pauca superessent, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum Opus subincudem revocandum censuit, atque decretivit Clemens VIII, & in hac nova Editione, plurimi nævi, qui in Sixtina remanserant, emendati sunt, & multa alia de industria mutata, quæ à Thoma Jamesio, Bibliothecario Bodlejano, in libro de editionum Sixti, & Clementis differentiis edito, ad duo millia recensentur. Neque tamen hæc Clementina Editio purissima est, & omnibus mendis expurgata; quinimo alia plura remanserunt, quæ mutanda videbantur, & justis de causis immutata relicta sunt, ut ostenditur ex Præfatione Bibliis hodiernis præfixa. Accipe igitur Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem, ac Vulgatam Sacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia, castigatam, quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minime dubitandum. Et verò quamvis, in hac Bibliorum recognitione, in Codicibus Ms. Hæbreis, Græcisque Fontibus, & ipsis veterum Patrum Comentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit: in hac tamen, per vulgata Lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt.

Quæ

Quæ mutanda essent, & justis de causis immutata
relicta sunt, manifestè coarguunt superesse alia, quæ
ulteriori examine egeant, & servatis Ecclesiæ Regulis,
possint aliquando corrigi, & emendari. Hæc est com-
munis Theologorum Catholicorum primi subselii doc-
trina, quæ cum Synodi Tridentinæ Decreto nullatenus
pugnat. Imò hanc fuisse mentem Tridentini narrat
peripicuè Em. Palavicinus, ejusdem Concilii Histori-
cus, lib. 7. cap. 12. ubi ex ore P P. loquitur ita: *Quod
spectabat ad ea, quæ putabantur in Vulgata obscurè,
ineptè, barbarè, ac perplexè dicta; nemini interdictum,
quin ea declararet, illustraretque, seu per interpretatio-
nem, seu per adjectas notas; seu per novam expositio-
nem.*

Id ipsum testatur Vega Ordinis Fratrum Mi-
norum eximius Theologus, qui tamquam Consiliarius,
Concilio interfuit, & de re auditus, dum Decretum de
Editione vulgata meditaretur, nostram sententiam com-
probavit, appellavitque testem Marcellum Cervinum
Cardinalem à Sancta Cruce, ipsius Concilii Præsidem,
postea Summum Pontificem, Marcellum Secundum ap-
pellatum, à quo sanctè asseverat, crebrius audivisse, eam
fuisse Concilii mentem. Audiamus jam Vegam Calvi-
no respondentem, lib. 15. de justificatione cap. 9. *Syn-
odus non approbavit menda, quæ linguarum periti, &
in Sacris literis mediocriter versati in ea deprehendunt :::
ac proinde, nec cohibuit, nec cohibere voluit studiosorum
linguarum industriam, qui aliquando docent, melius potuiss-
se, aliqua verti ::: Et hanc fuisse mentem Synodi, nec
quidpiam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis, & ex
aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et
ne dubites de his, verissimè tibi possum allegare pro his
Amplissimum, & Observantissimum Dominum S. Crucis
Cardinalem, de pietate, & de literis, & de studiosis omnibus
optimè meritum, qui illi Sessioni, & aliis omnibus præfuit.*

ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, & postea mihi non semel testatus est, nihil aliud voluisse P. P. firmare. Itaque nec tu, nec quisquam alius propter hanc approbationem Vulgate Editionis impeditur, quomodo nus ubi hæsitaverit, ad Fontes recurrat, & in medium proferat, quidquid habere potuerit, quo juventur, & locupletentur Latini, & vulgatam Editionem ab erroribus repurgent, & quæ sensui Sanctorum, & ipsis Fontibus sunt magis consentanea assequantur. Quæ scripsit Vega, cum superstes esset Cardinalis, qui de re poterat interrogari.

Consonant his, quæ docet Xistus Senensis lib. 8. Bibliothecæ Sanctæ, qui tunc temporis in vivis erat, & cum iis, qui Concilio interfuerant, versatus est. *De erroribus vero*, inquit; quos Hieronymus in veteri Translatione annotavit, & recentiores in hac nova Editione pariter annotarunt, ingenuè fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri Traductione, & similiter in hac nostra nova Editione nonnullas inventi mendas, solæcismos, barbarismos, hyperbata, & multa parùm accommodatè versa, & minus Latinè expressa, obscurè & ambiguè interpretata, itemque nonnullas superaddita, aliqua omissa, quædam transposita, immutata, ac vicio Scriptorum depravata, quæ Xantes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciscus Horerius, & Hieronymus Oleastrius, viri ex Dominicanو Ordine eruditissimi, interpretationibus, & explanationibus suis indicarunt.

Franciscus Lucas Theologus, & Decanus Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis, libellum edidit, in quo deprehendit quatuor millia, & amplius loca, quæ in Bibliis jussu Clementis emendatis, ulterius possent corrigi: idemque in Epistola nuncupatoria hujusce prioris Collectionis refert testimonia ex literis, ad se ipsum rescriptis ab Em. Roberto Bellarmino, & Joanne Baptis-

ta Bandino, quorum opera Clemens VIII usus fuerat
in ejusmodi Emendatione, & in illis uterque respondet,
Biblia Sacra per illam Clementinam, quæ de Typo-
graphia Vaticana prodierat Editionem, nec dum accura-
tissimè correcta, sed superesse non pauca, quæ in me-
lius adhuc mutari possent. Verba sunt Bellarmini. *De*
libello ad me misso gratias ago, sed scias velim Biblia
Vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata. Multas
enim de industria justis de causis pertransivimus, quæ
correctione indigere videbantur. Addo novum Bellarmi-
*ni locum ex lib. 2. de Verbo Dei cap. II. *Vulgata Edi-**
tio, inquit, non est unius Authoris, sed quedam habet
ex Hieronymo, quedam ex Luciano, quedam ex Theo-
dotione, quedam ex alio quodam Interpretate innominato.
Stultum autem videtur dicere, Theodotionem Hæreticum
non potuisse errare : : : : : Non igitur Authores illos ca-
nonizavit Ecclesia, sed tantum hanc Versionem appro-
bavit: nec ita tamen approbavit, ut asseruerit nullos in
ea Librarium errores reperiri: sed certos nos reddere
woluit, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores perti-
nent nulla esse hac in Versione Interpretum errata.

Prælaudatus Franciscus Lucas in eadem episto-
la nuncupatoria præcludens objectionem, scilicet, quod
cùm vetus Editio Latina à Tridentino Concilio proba-
ta, atque Authentica pronuntiata sit, nulla amplius casti-
gatione opus esse videatur, ridiculum id prorsus esse de-
clarat. Neque enim, inquit, Concilium Editionis hujus
exemplaria errorum expertia esse judicavit, neque etiam
certum aliquod Editionis exemplar sequendum omnibus
proposuit: sed Editionem ipsam, cæteris quæcumque ex-
tant, Latinis Editionibus prætulit, & Authenticam de-
finivit. Hanc qui voluerit ex Hebræo aut Græco muta-
re, aut suo proprio judicio corrigere, correctamque pro ip-
sa veteri Editione emaculata proponere, is Synodi sen-
tentiae proculdubio adversatur: non enim veterem servat,

sed

sed suam obtrudit Editionem. Cæterum qui ex variis ipsius veteris Editionis exemplaribus, illi emendandæ, & primævæ lectioni, germanæque Interpretis Scripturæ restituendæ operam navaret; tantum abest, ut menti Synodi aduersetur, ut ipse ad hoc, Synodo hortante, ex mente Synodi faciat. Statuit enim ut hæc ipsa vetus & Vulgata Editio quam emendatissimè imprimatur; emendatè autem imprimi haud posse videtur, nisi collatis variis illius exemplaribus, menda deprehensa eliminentur, sincera lectio admittatur.

Mitto Genebrardum in Præfatione ad Carolum IX Regem Christianissimum Origenis operibus præfixa. Bonfrerium in Præloquiis cap. 15. fect. 3. & alios quam plurimos, quorum agmen claudit Nicolaus Serarius in Prolegomenis cap. 19. quæst. 18, qui octo rationibus, quas ex præcitata Bibliorum Præfatione colligit, probat, posse adhuc alia menda in Vulgata Editione Latina corrigi. Nam 1, ait Præfatio: *In tanta re nulla potest esse nimia diligentia*; unde adhuc aliorum diligentiae locum relinquit. 2, Dicitur in eadem Præfatione *Vetus versio quanta fieri potuit diligentia castigata*. Cum autem dicitur *quanta fieri potuit diligentia*; non intelligitur quanta omnino possibilis fuit. 3, Inquit Præfatio: *Eam omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare, difficile est*. Potest igitur adhuc numerus deesse aliquis, quem humana infirmitas non animadverterit. 4, Dicitur tantum ista Editio cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt emendatior, & purior: unde non omnibus absolute, sed antiquioribus dumtaxat præfertur; ac proinde non negatur, quod si Apostolica vigilantia in isto opere pergit, possint deinceps aliæ Editiones prodire correctiores, & perfectiores. 5, Dicitur item visa fuisse mutanda, quæ consultò immutata relicta sunt. Ergo ipsorum judicio, qui correctioni præfuerant, possunt adhuc mutari nonnulla.

6. Quia Præfatio ipsa causas exprimit cur, quæ mutanda videbantur, immutata relicta sunt; nempe propter *offensionem Populorum vitandam*, & propter suspicioneum Codicum, qui ad manus correctorum pervenerunt, *qui fortasse :: minus puri atque integri evaserunt*. Unde si aliquando ceslet in re illa offensio, adimaturque illa suspicio, poterit aliqua adhuc fieri mutatio, aut correctio. 7. Quia illud *fortasse* significat hac in re nihil certi esse: nam sicut *fortasse* fuerunt Codices minus puri, ac integri; sic *fortasse* in istis locis, quæ mutanda videbantur, & mutata non sunt, puri omnino, atque integri evaserunt: tam enim hoc *fortasse* certum, quam illud. 8. Quia cùm enunciatur Vetus Versio suæ pristinæ integritati, ac puritati restituta, non simpliciter dicitur; sed cum addito *quoad ejus fieri potuit*. Ideo que, ait Serarius, *ineptè colligunt nonnulli, vel excommunicationem, vel pænas alias ad eos modo ullo spectare, qui aliqua in Bibliis correctis desiderari, & adhuc emendari posse, censem*. Addiderim ex eodem quæst.
21. *Quod si hujusmodi aliqua notata jam, & collecta forent, vel deinceps ab aliquo, aut aliquibus notarentur, & colligerentur, ea si ab Apostolica Sede recognoscerentur, possent postea ab eadem S. Sede, vel approbante, ac jubente, vel certè annuente in textum referri; ita ut correctior, perfectior, numerisque pluribus absolutior, hic adhuc prodiret. Et ad calcem quæst. Nam ita in hisce Sacris elaborandum crisibus, ut Summo Ecclesiæ aspectabilis Judici committantur, & submittantur.*

Quid igitur aliud de Breviario desideramus, vel sincerè affirmamus? Nec suis omnino carere nævis, dicimus. Amplius posse authoritate Ecclesiæ corrigi monstramus. Quod potuit Pius V, & Clemens VIII in emendatione ab ipsis edita, & utriusque Apostolicis litteris valde commendata, id quoque potuit Urbanus VIII, & modò in correctione, quæ postremò prodiit,

præstitum videmus: non solum; quæ post illam priorem irrepsissent menda repurgando; verum etiam, quæ adhuc à Vitis Doctis notata fuissent, amplius corrigendo. Idcirco in suo Diplomate afferuit. Emendasse non pauca, quæ sive à primo nitore institutionis excidissent, sive inchoata potius, quam perfecta forent ab aliis. Ulterius pergimus: quod potuit Urbanus, cur non potuerunt & alii ejus posteri in munere successores? Nulla enim pro nova correctione excogitari est difficultas, quæ victa non fuerit Urbana, & omni ex parte soluta. Nec ullum valet ex Pontificio Diplomate verbum afferri, quo vel Clemens XII, qui Petri Sedem hodie feli-citer tenet, vel ejus quicumque Successor prohibeatur, quidquam in Romano Breviario deinceps corrigere. Non est adempta Summis Pontificibus Breviaria corrigendi, & perficiendi potestas, si id fieri debere judica-verint. Nec enim de fide est, ita hanc Editionem esse emendatam; ut nihil in ea prorsus Pontificia Authoritate mutari queat.

Potest igitur id effici, & sanè potest: quod & aliis octo rationibus probo, quas ex Urbani Literis Bre-viario præfixis pariter colligo. Nam 1, ex ipsis inter cau-fas, quæ Urbanum traxere in emendationem Breviarii, numerantur *Piorum Doctorumque Virorum judicia, & vota, conquerentium in eo contineri non pauca, quæ cor-rectione indigere viderentur*. Unde subindicat Ponti-fex, *Piorum Doctorumque virorum esse, vel ad eos om-nino pertinere conqueri, aut reclamare de nævis, quos ipsi notaverint in Breviario corrigendis; ac proinde posse ulterius emendari.* 2. Quia ad id videtur quodammodo excitare, & hortari: laudat enim eos, qui in hisce castigationibus diligenter olim elaborarunt, & ab ipso dicuntur erudit*i, & sapientes viri ::: quorum diligentia studioque usus est.* Si ergo pari diligentia, ac modestia, quis notaverit aliqua adhuc corrigenda, ex gusto Pon-tificis

tificis faciet, poteruntque ista ulterius castigari , aut cor-
rigi. 3. Quia opus emendationis *perfectum*, sive finitum
dixit; non tamen opus adeò emendatum , quod est Bre-
viarium, omnibus numeris absolutum, aut omnino emas-
culatum pronuntiavit. 4. Quia ibidem dicitur de illo
ipso opere, *Gratum omnibus, Deoque , & Sanctæ Ec-
clesiæ honorificum fore speramus*; quæ verba non sunt
præceptiva, sed optativa, ut patet ex illo *speravimus*,
quod desiderium Pontificis exprimit , cui potuit aliter,
contra spem evenire, & ex illo *Gratum*, quod est ver-
bum libertatis, aut spontaneitatis ; non tamen, obliga-
tionis, aut necessitatis , sicut oportebat, si Breviarium
denuo emendatum, esset jam omnibus numeris absolu-
tum: ergo ita emendatum non est : ac propterea pote-
rit adhuc ulterius emendari. 5. Quia idem Urbanus
causam exprimit, cur Opus hoc *gratum omnibus, Deo-
que, & S. Ecclesiæ honorificum fore speravit*; *siquidem*
in eo multa suppleta, multa emendata, atque correcta:
ergo si alia multa inveniantur supplenda , emendanda,
aut corrigenda , eadem prorsus causa subsistet, & si ita
fiat, Opus illud gratius omnibus, Deoque , & S. Eccle-
siæ honorificentius fore , venit sperandum. 6. Quia
modum, quo hujusmodi aliquæ possint fieri adhuc cor-
rectiunculæ non obscurè demonstrant Apostolicæ literæ;
si nimirum *P.P. sermones, & Homiliæ :::: cum pluri-
bus impressis Editionibus, & veteribus manuscriptis*,
adhuc conferrentur: si *Sanctorum Historiæ ex priscis, &*
probatis Authoribus recognitæ, ulterius recognoscerentur:
ac demum novo studio , & labore accurate inspiceretur,
si *præsertim antiquiora monumenta adversantur*, quæ est
regula, præscripta supra à Benedicto XIII. 7. Quia San-
ctorum Historias *ex priscis, & probatis Authoribus de-
sumptas significat Pontifex*. Cum autem Authores isti
Canonici Scriptores non sint, non Prophetæ, non Apof-
toli, aut Evangelistæ, minimè possunt, parem iis habere
certi-

certitudinem, vel authoritatem, nisi aut à Pontifice data sit, vel à Synodo oecumenica, quod à neutro legimus factum; quos tamen ita haud probavit Ecclesia, stultum est dicere, in nullo penitus potuisse errare, aut decipi. 8. Quia ipse Urbanus hujuscemodi aberrationes videtur permettere: nam post ejus emendationem permittit pariter usum Breviarii antiquoris, & non vult prohiberi; licet priùs fuerit animadversum, *in eo contineri non pauca, quæ correctione indigere videbantur*: ergo neque ex emendatione Urbani, neque ex usu Ecclesiæ post Urbani emendationem inferre licet, Breviaria illico putanda esse ab omni aberratione libera. Nec enim, inquit Benedictus, *Ecclesia ipsa, quæ illis utitur inconcussæ, infallibilisque veritatis judicat, quæcumque Breviariis sunt inserta.* Et præterea addit: *Quæ omnia argumento sunt non illico putanda esse ab omni aberratione historica libera Breviaria, sed magna plerumque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia:: imò nec suis omnino carere nævis Clementino-Urbanum quo utimur Breviarium.*

Ac quidem in eo superesse non pauca, circa Historias SS. quæ in melius adhuc mutari possent, & nihilominus retenta sunt eo modo, quo erant, asserit plané Gabantus in Thesauro S. Rituum Sect. 5. cap. 12, qui correctioni interfuit, & cum eas recognitas dixerit à Cardinalibus Bellarmino, & Baronio, quibus hæc Provincia fuerat demandata, postmodum testatur sic: *Qua in re per difficile visum est illis ad Historiæ veritatem bona fide restituere Sacras Lectiones: idque minima, qua fieri potuit mutatione; imò, quæ controversa erant, alicujus tamen gravis Authoris testimonio suffulta, aliqualem haberent probabilitatem, retenta sunt, eo modo quo erant, cum falsitatis argui non possint; quamvis fortasse altera sententia sit à pluribus recepta. Quæ verba omnino conferenda sunt cum prioribus Bellarmini*

mini verbis supra commemoratis propter omnimodam similitudinem emendationis Breviarii, cum emendatione Editionis Vulgatæ S. Scripturæ: cuius paritatis vim, & energiam vedit jam pridem Serarius, qui ex ea nervosè arguit citato cap. 19. quæst. 13: & quæst. 21, ex eadem unicè probat secundam conclusionem.

Conantur tamen aliter respondere oppositæ sententiæ Patroni, afferentes allatam paritatem potius, quam nobis, ipsis favere. Nam menda, ajunt, cogitari posse dupliciter, primò Authoris, vel Scriptoris, sive id ex imperitia, sive malitia, vel alia ejuscemodi causa fiat.

2. Exscribentis, seu Librarii, quando simili ex causa, aut etiam qualicumque non accuratè, vel correctè scribit. Prioris generis menda, quæ vocantur *gravia*, quia veritati derogant, hactenus negata à Catholicis, in Latina nostra Versione: in ea enim *Nihil subdolé*, vel *adjectum*, vel *mutatum*, inquit Driedo lib. 2. cap. 1, concl. 3. *Falsum ve, aut mendax* ait Sixtus Senensis pro nobis citatus, qui ulteriùs addit: *Vel præter veritatem ad-ditum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omissum*: posterioris vero generis menda, quæ à Sixto Senensi vocantur leves defectus: quia minimè officiunt veritati, sed illam intactam relinquunt, sensim post Hieronymi tempora, in nostram Vulgatam irrepsisse, concedunt adversarii: quod supra à nobis est probatum; imò ipsius jam Hieronymi tempore fuerant ob-servati, ut ex Præfatione in Psalterium constare potest.

Hinc pariter de Breviario discurrendum censem, in quo *leves illos defectus* irrepsisse, adhuc post Urbani emendationem, qui tamen veritati non officiant, cogun-tur fateri; graviora autem menda, in præjudicium ve-ritatis Historiæ, quæ in Vitis Sanctorum ex occasione referenda venit, renuunt constanter admittere. Nam dato etiam, inquit Perillustris Sausay, quod men-da adeò *gravia aliquando irrepsissent, notandi ea pro-*

fecto, & arguandi ante recognitionem locus fuit. At postquam ex Concilii Decreto, publico Ecclesiae nomine à delectis P.P. libri ipsi Ecclesiastici recogniti, expurgati, atque pristino nitori restituti sunt, Sedisque Apostolicae judicio approbati, quod exordio Missalis, Breviarii, Martyrologii constat ex adscripto Diplomate Pontificio, certum esse, & peremptorium, jam nemini Catholicorum fas est :: arguere falsi, quod Sedis Apostolicae Decreto declaratum esse liquet.

Verum ex hac responsione validè magis urgentur Adversarii. 1. Enim jam profiteri tenentur, adhuc post Urbani emendationem, facile intelligi errores illos leves, qui veritati non officiant, in Breviarium irrepsisse Amanuentium vitio, aut Typographorum oscitantia, vel alia simili ex causa, quod apertè supra negaverat Sousa, qui in hac Dissertatione nobis præcipuus est Adversarius. 2. Quia ex Literis Urbani fateri coguntur, ipsum emendasse non solum, quæ post Prædecessorum Correctiones irrepsissent Librariorum menda, verum etiam, qui à primo nitore institutionis defectus excidissent Scriptoris causæ. Unde nil prohibet, quominus Urbani Successores præter illapsas labes, alia similia deprehendant, quæ à primo nitore institutionis exciderint, & emendatione opus habere animadvertant. 3. Nam defectus illi infallibilis certitudinis, quos in privatis factis, aut gestis SS. adhuc notare, ac reperire fas esse affirmamus, nec jure graves dici possunt, nec sunt inter graviora menda numerandi; sed inter leviores nævos, aut minoris momenti labes meritò debent reputari; cum per se ad fidem, vel mores non spectent, nec cum iis necessario habeant connexionem: quæ est regula à Theologis præscripta pro levibus nævis dignoscendis, & discernendis à mendis gravioribus. Idcirco asseruit Benedictus minoris ponderis esse Breviarium in privatis factis, aut gestis, quæ in vitis Sanctorum,

ex occasione referuntur: proptereaque, teste eodem, Ecclesia ipsa, quæ illis utitur, inconcussæ, infallibilis que veritatis judicavit nunquam quæcumque hujus generis Breviariis sunt inserta; quinimo tuto, & citra periculum, posse legi existimavit; cum nullum inde haberi posse perniciosum errorem, ex quo pravum aliquod dogma in fide, aut moribus colligi queat, certò sciat. Et in his particularibus, ex alieno relatu, & citra definitionem referendis, dum ad fidem, vel mores ullo modo non attinent, nec cum iis aliquam habent connexionem, infallibili gaudere authoritate, haud cognoscatur. Id causæ fuit, cur Sacrarum Lectionum veritatem in huicmodi minimis nunquam approbarit Ecclesia, nec Sedis Apostolicæ judicio id fuerit uspiam declaratum, ut falsò supponunt respondentes, quibus facile erat demonstrare, si dicta in responsione tenerent.

Hinc difficile non erit, similitudinem nostram instaurare Correctionis Breviarii cum Emendatione Vulgatæ Editionis Sacræ Scripturæ: neque enim in alterutrā menda illa, quæ supra adeò gravia vocant Adversarii, admittenda censemus; in utrāque verò leves illos defectus, qui minoris ponderis nævi, aut parvi momenti labes dici debent, nobiscum pariter ipsi tenentur profiteri, & ad id compelluntur allata à nobis paritate: nam sicuti in Sacris Scripturis, & in iis, in quibus Breviarium maxima est authoritatis, fas est, ista Jevia reperire; sic in Historiis Sanctorum, in quibus minoris ponderis esse Breviarium, sæpe dictum est, nefas non erit, similia notare, aut invenire, & de notatis, ulterius corrigendis, qua par est reverentia, postulare.

Addo præterea exemplum in demonstrationem possibilitatis vltioris Emendationis Breviarii Clemencino-Urbani. Inest illud in Officio B. Catharinæ Senensis, ex cuius 4. Lectione tota hæc clausula: *ex Benincasia unâ cum Burghesia familia, ex eodem stipite proveniente,*

expuncta fuit, hoc uno superflite pris orta parentibus. Adest ergo in Breviario Romano post Urbani recognitionem ulterioris emendationis capacitas. Et exinde colligitur: cum ex facto, ad rei possibilitatem recta semper fuerit illatio. Cæterum hoc vulnus adeò grave, ut evitent Adversarii, occurrunt ex Echard de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom. 2, qui agens de S. Catharina de Senis ait, hæc temerè adducta Typographorum, aliorum ve temeritate, vel levitate in Romani, Prædicatorumque Breviarii Lectionibus. En verba: *Mirum satis, inquit, qua typorum an aliorum temeritate, vel levitate in Romani Prædicatorumque Breviarii Lectionibus immutatum, & afflictum de Benincasia Burghe-siaque nobilitate, & affinitate, quod Urbani VIII, Decreto die 28. Septembris 1641. Romæ Sanctæ Fidei promotore interveniente in Congregatione Sacrorum Rituum Cardinali Cajetano referente, dato, deleri merito jubetur, è que nova Breviarii Editione hæc abradi in Lectionibus temerè adducta sequentia verba: ex Benincasia, &c. Quæ scilicet in Editionibus Breviarii præcedentibus ad annum usque 1630, aut circiter haud inveniebantur.*

An vero hæc temerè omnino adducta fuerint, vel potius accuratè scripta, & cogitata, modò non est in animo disputare, unum tamen verum sit ex verbis Echard, ab anno 1630, aut circiter, usque ad annum 1641, ista temerè adducta, & correctione digna in Breviariis reperiri. Sit ita sane. Hinc potius infero: ergo ex ore P. Echard est planè possibile, ista levia, & temerè adducta in Breviariis inveniri, non solùm post Urbani recognitionem, sed etiam ante, vel in ipso castigationis tempore: nam cùm hæc facta fuerit anno 1631, ut ex Apostolicis Urbani literis constat, certum debet esse, ista temerè adducta his tribus temporibus in Breviario observari, & decem integris annis elapsis post Urbanam recognitionem meritò deleri, & abradi

jussum -

jussum esse. Ex ea ergo responsione, ex verbis Echard, dolent jam vehementer Adversarii : dolendum tamen magis erat de sequentibus ibidem videndis: *In hisce Lectionum, & Officiorum approbationis negotiis ubi nihil aperte reclamat fama, nec communis Populorum abhorret sensus, neque ad Viri plurimum refert Sanctitatem, atque commendationem, non nisi leviter, ista tractari.* Securius certè fecit Sousa, qui cum iactum inevitabilem prævideret; prudenter dissimulavit, & rem istam alto silentio prætermisit: igitur in Breviario Clementino-Urbano correctioris castigationis possibilitatem diffiteri non licet.

Nec contentus ero ulterioris emendationis possibilitatem tantum ostendisse, nisi potius necessitatem demonstravero ex discordantiis Breviarii Romani cum Martyrologio, in quibus non pauca discrepant: quæ conciliari, nullo modo posse videantur; & cum paris authoritatis supponi debeant, alterum eorum esse necessariò corrigendum, quando commodum fuerit Ecclesiæ, dictat ratio. Sit primum exemplum circa Chronologiam, nam Romanum Breviarium, in numerandis vitæ annis antiquorum Patriarcharum, primæ, & secundæ mundi ætatis sequitur Chronologiam Hebræorum; supputat enim eos juxta Vulgatam Latinam Editionem, in qua traduntur secundum Hebræorum supputationem; hæc autem longè aliter se habet ab ea, quæ ex textu Septuaginta Interpretum colligitur; quam laudatam, & approbatam legimus in Martyrologio, teste Baronio, tam in Notis ad ipsum Martyrologium, quam in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos: ait namque: *Profiteri, & Romanam Ecclesiam in suo Martyrologio se annos supputare secundum eosdem Interpretes.* Tanta autem in numero annorum utriusque textus ab initio Mundi usque ad Abrahæ ortum adest differentia, ut quæ ex textu Septuaginta Interpretum

colligitur ; eam ; quæ ex Hebraicō resultat ; mille quadringentis sexaginta sex annis superet. Cum ergo inquit Torniel. in Annal. Sacr. anno Mundi 131, num. 5, *discrepancia hæc, tam grandis sit, ut conciliari nullo modo posse videatur, restat necessariō supponi debere, alterum ipsorum textuum esse mendosum, & ratio dictat, non fortuitò, sed dedita opera fuisse corruptum.* In quo textu, qua de causa, & quonam Authore, accidet hæc corruptela, incertum est. Hinc variæ ea de re Chronologorum opiniones. Vir Clar. Ivo Paulus Perron Monachus Cisterciensis, Strictioris Observantiaz, & Parisiensis Doctor in libro cui titulus: *Antiquitas temporum restituta*, existimat, deserendum Textum Hebraicum, tanquam à Judæis, qui post expugnata Hierosolyma vixeré, corruptum. Hanc sententiam tuetur Baronius ubi supra, quod ea inter antiquos Scriptores Christianos communis aliàs fuerit. E contra citatus Tornielius, Græcum textum Septuaginta Interpretum depravatum esse, judicat. Eum sequuntur communiter Recentiores, qui post Scaligerum floruere. Accedunt Perrierius, Bonfrerius, ac novissimè Pagius in Apparatu Chronologico, omnino videndus. Quibus adde Malvendam, & Despieres, quorum verba ad rem nostram plurimi facio.

Malvenda de Antichristo lib. 1. cap. 16, loquendo de Romano Martylogio ait : *Quod Ecclesia Romana in publicis tabulis eam annorum rationem laudare, videatur, quam LXX dederunt, id quidem non facit, quod veram & incorruptam eandem existimet ; cùm huic ē diametro adversantem, ut veram & genuinam eam summam, quæ in Editione Vulgata est consignata, omnibus recipiendam proponat : sed id tantum salubri temperamento cavit, ut vetus aliquod venerandæ vetustatis monumentum, tametsi lacerum ac deforme, & pannice annisque obsitum exhiberet ; omnibusque palam faceret.*

ceret; quam rationem secuti fuerint antiqui Patres in enumerandis ex Sacra Scriptura annis, ab Orbe procreato ad Christum nascentem; cum soleant vetera Antiquitatis monumenta, quantumvis corrofa & attrita, gratum aspectibus intuitum praestare. Quocirca nihil opus est nunc Ecclesiæ Græcæ vulgatam numerandi rationem commendare, aut Græcorum exemplarium patrocinium contra Hebraicam veritatem suscipere. Et Despieres de versione LXX Interpret. Disp. 2. dub. 5. Nec nos movere debet quod Ecclesia supputationem LXX Interpretum ab omni tempore in communem usum receperit. Neque enim ea mens fuit Ecclesiæ, ut nemini liceret ab ea deflectere: sed solum usum probavit, non autem supputationis errores, quos corriget, quando commodum fuerit. Ubi notanda verba illa: quos corriget quando commodum fuerit, quæ, data opportunitate, aliquando in alterutro corrigendos subindicant. Hinc manifestè dignoscitur, qua fide Malvendam pro se annumeraverit Sousa.

Sit secundum exemplum circa Chronologiam item. Breviarium Romanum in Historiis SS. præsertim in eorum ortu, vel interitu, aut obitu designando sæpesæpius utitur Era Vulgari, & Calculo Dionysiano, & exinde cum Dionysio supponi debet, Christum natum esse anno Juliano 45; cum tamen in Martyrologio legatur, natum esse anno à Creatione Mundi quinquies millesimo, centesimo, nonagesimo nono, & ab Urbe Roma condita, anno Septingentesimo, quinquagesimo secundo, qui quidem annus Nam Urbis juxta supputationem Capitolinam, quam Mundi, qui est secundum Septuaginta Interpretes, concurrit cum anno Juliano 43: apertè colligitur, duobus haltem integris annis Chronologiam deficere, & discrepare. Ex usu itaque Ecclesiæ hæc difficultas dirimi non potest, concludit ibidem Pagius.

Sit tertium exemplum Idololatria, seu lapsus Marcellini, cuius narratio ex Martyrologio Romano,

tempore Clementis VIII correcto, erasa est; cum nihilominus intacta relicta fuerit ab eodem Clemente in Breviario emendato & ab Urbano VIII postea recognoscente, aliisque Successoribus nil novantibus: usque enim hodie perseverat licet jam pridem à tempore D. Augustini fuerit notata, tamquam Donatistarum Commentum, ut videre est, in libro de *Unico Baptismo* cap. 18. Perseverantia autem ista, dum discrepantiam inter Breviarium, & Martyrologium patefacit, Historiæ veritatem parùm probat, sed potius arguit non esse indubitatam, & posse diligentia posteriori corrigi, vel omnino debere. Audiatur hac de re P. Raynaudus, in *Sintagm. de libris propriis* membro 49. *Perseverantia*, inquit, *bujus de Marcellino narrationis in Breviario, per Urbanum VIII, & alios quosdam anteriores Pontifices* parum probat: potuit enim expungi è Breviario ea narratio, sicut alia pleraque subinde sunt expuncta, & sicut è *Martyrologio Romano* tempore Clementis VIII correcto, erasa est ea narratio de Marcellino. Sed multa sinuntur, & in *Tabulis*, & in Breviario retineri, quæ Ecclesia non præstat esse indubitata, & posse diligentia posteriori corrigi, non diffitetur.

Plurima alia exempla prætereo, quæ afferri possent: hæc namque satis sunt, ut inde colligi queat Breviarium, seu Martyrologium corrigendi necessitas, quantum præsertim attinet ad Historias. Hæc de causa quā plures rerum Ecclesiasticarum periti conjiciunt, fore ut postquam integrum de Sanctorum Actis Opus perfectum prodierit, Romanum Breviarium, & Martyrologium exinde corrigenda. Horum vota energicè exprimit Franciscus Maria Florentinus, in undecima admonitione prævia ad Lucense Martyrologiū. Ubi de Romano agens inquit, *adhuc næuos aliquos irrepisse, sunt qui conquerantur*: : : : *Sed dies erit cum in lucem prolatis, quæ de Martyrologiis Bollandus ejusque Socii meditan-*

tur

tur sapientissimus alius Pontifex iterum Romanum
Martyrologium emendari, & locupletari mandabit.

Magna profecto Scriptorum laus, quorum Opus tanto adiumento esse potest Ecclesiæ! Quæ adeò Piorum, Doctorumque Virorum judicia non dignabitur, aestimare, & secundum ea Ecclesiasticos Libros corrigere, Sacrasque controversias, ac lites circa rem omnem Sanctorum historicam dirimere, ac judicare. Huc fortè respexit Natalis Alexander Dissert. 6. in sæcul. 13. & 14. art. 2. cum de Bollandi Sociis (erant enim Henschenius, & Papenbrochius) asseruit, multum illis Ecclesiam debere: *Quos, inquit, alioquin plurimi facio, ac multum illis Ecclesiam debere profiteor.* Huc abs dubio intendebat Alexander, non Natalis, sed qui electus Pontifex, Septimus Alexander est appellatus, qui à S. C. consultus circa gravissimam litem, Romæ exagitatam de Reliquiis, & Corpore S. Antonii Abbatis, incunctanter respondit: *Videatur, & consulatur Bollandus in vita S. Antonii.* Apud quem, cum per Secretarium fuisset perfecta integræ de re Dissertatio, validissimis, rationibus, ac monumentis confirmata, his commoti Judices, juxta allegata in ea à Bollando judicarunt, & pro parte, cui ipse favebat, definitivè declararunt, cui sententiæ alacri ex animo subscripsit Alexander, simulque Opus de *Actis Sanctorum* Utilissimum, ejusque Doctissimos Authores amplissima laude commendavit.

Quid tandem plura? Sed ne videatur recentissimi Authoris, qui adhuc in vivis est, testimonium desiderari, audiatur M. Segura in Norte Critico part. 2, §. 11, qui Opus fatetur Magnificum, Utilissimum, & omni commendatione Majus, Authoresque pariter Eruditissimos, dum ait fol. 34. *Magnifica Obra:: que con tales diestros, y continuos Operarios, todos Eruditissimos, y de genio proprio para ella:: La confessamos Mayor de toda nuestra alabanza; y es mui corto el coste respecto de su*

utilissima preciosidad. Et fol. 33. & 42. in eo inquit:
Ay immensa Erudicion de Historia Sagrada, Ecclesiastica, y Profana. En recoger las vidas mas antiguas, y las mejores han puesto summo desvelo, y trabajo, como manifiesta la misma Obra::: Ay Notas mui curiosas, y utiles de Erudicion Grammatical, y á los errores de los que transcribieron sin acierto. Las principales son de Historia, y Chronologia. Ay no pocas en materias Dogmaticas, y Theologia Mystica, y Expositiva, que indican ser mui Doctos los Colectores en estas Facultades. Et fol. 43. præterea addit: Ciento Escriptor formò otro concepto de esta grande Obra. Menos feliz fué la inteligencia del Escriptor, que no expressamos; y creemos, cabe mui bien traer en este caso el decantado verso:

Pro captu lectoris habent sua fata libelli.

Quid de his sentiat Sousa, audiemus modò. Quos S. Congr. jam diu in Historiis Sanctorum æquos Judices æstimaverat, meritissimisque laudibus extulerat; hos nuper Sousa deprimit, & exprobat. Quos Sum. Pontif. consulendos, decreverat, aliique Ecclesiasticarum rerum periti Doctissimos, Eruditissimosque dixerant; hos ipse despicit, fortiaque ingenia, & morosos criticos appellat. Egregius sane ingeniorum ponderator, & æquus meritorum arbiter! Quis igitur citra animi motum ferre poterit verba adeò contumeliosa in Viros planè Sapientes, & de Ecclesia optimè Meritos? Sed de his satis; alia enim præcipua, adhuc probanda restant.

Præfata DD. testimonia, qui perspicuē asserunt, multum illis AA. Ecclesiam debere, qui nostram tueruntur sententiam, nobis probanda offerunt duo, quæ restant, & principio pollicebamur. Nil scilicet, per eam doctrinam authoritati Ecclesiæ derogari; quinimo longè magis piam esse, quam oppositam. Neque enim injuriosa Ecclesiæ, aut minùs consona pietati existimanda venit doctrina illa, cui multūm Ecclesiam debere fatentur. Duo illa

istā ex deductis hactenus satis manent demonstrata; singula tamen paucis expediam, quæ leviter attingam.

Sit primum: nihil per Authoris sententiam authoritati Ecclesiæ derogari; quinimo maximam, quæ ipsi debetur, observantiam, & reverentiam exhiberi. Id S.C. Rituum Præsides, & Consultores planè intelligunt, ideoque hanc, præ opposita, sententiam aestimant; tantum abest, ut ea offendī suam authoritatem existiment. Accedit, quod, cum tam Romæ, quam alibi, non semel accusata, & judicata fuerit; immunis, & victrix semper evaserit. Hæc satis erant; sed præterea suadetur ita. Non est injuriosum Ecclesiæ, nec ipsius authoritati derogat, privata SS. facta Apostolica lance librare, à Gelasio I adhiberi permissa, & de illis judicare, sicut Ecclesia judicat. At Ecclesia non judicavit, esse *inconcusſæ, infallibilisque veritatis* quæcumque in Breviariis sunt inserta; cum multoties ea mutaverit, correxeritque. Si nos igitur pariter judicemus, judicium nostrum authoritati Ecclesiæ non derogabit, neque ipsi injuriosum erit.

Quod quidem Gavantus supra relatus confirmat, asserens, relicta fuisse eo modo, quo erant in Breviario antiquiori plurima post recognitionem Urbani, quæ correctorum judicio aliqualem tantummodo probabilitatem habebant, & ejus opposita teneri à pluribus, sciebant. Hujus sunt generis exempla à Benedicto exposita, & similia; veluti celeberrima inter Eruditos controversia de uno, vel duplice Dionysio Parisiensi, & Areopagita, de qua perspicuè asserit Innocentius III in Epistola ad Monachos S. Dionysii, data anno 1215, qui fuit ejus Pontificatus 18, neutri se velle præjudicare sententiæ: *Neutri, ait, volentes præjudicare sententiæ: Sacrum B. Dionysii pignus::: Quod::: Apostolicæ Sedis Legatus de Græcia tulit, vobis devotè dirigimus.* Quid verò vetat, idem similiter de reliquis controversis

factis in Breviario contentis Ecclesiam sentire , ac jure optimo colligere , neutri velle præjudicare sententiæ? At, si ita est, luce ipsa clarius fit , nihil per expositam sententiam Authoritati Ecclesiæ derogari , nullam ipsi injuriam infigi; itaque perspicuum etiam redditur , quod primò ostendere pollicebar.

Venio ad secundum , quod non minori rationum ostendam pondere , magis scilicet è pietate esse, solidiorique devotioni conformiorem nostram , præ opposita, sententiam : in primis enim vera pietas , solidaque devotio in veritate fundatur, quantumque magis veritate nititur pietas , eò solidior putanda , utpote supra firmam stabilita petram. Atqui nostra sententia veritati magis accedit, ejusque usus unicè respicit, ut super firmas, aut verosimiliores veritates struatur devotio, ablatis eis, quæ anomala pietatis judicari possunt: est igitur absque ulla dubitatione conformior nostra sententia pietati. Quod probari etiam potest: quoniam conformior pietati, ac devotioni judicanda est sententia , quæ spiritui Ecclesiæ magis congruit, ejusque vota , ac desideria magis sequitur: jam ergo Ecclesiæ spiritui , ac doctrinæ conformiorem nostram sententiam nullus dubitet. Concilium enim Tridentinum correctionem Lectionum Breviarii percupivit , remque Pontificibus commissam reliquit, qui licet triplicem correctionem fecerint hactenus, adhuc in omnibus non correxisse, nec exhausisse omnem, quam in Sacris corrigendis Libris habent authoritatem, compertum est. Præterea ut ex Benedicto retuli: *Testatur id Concilium Senonense de anno 1528, quod, ut Breviaria, & Missalia emendantur Decreto sanxit: testatur Concilium Colonense de anno 1536, cui hoc idem decernere placuit; ac demum Concilium Rothomagense anni 1581. & Concilium Rhemense, anni 1583, decernunt, ut quam diligenter, à falsis narrationibus Breviaria repurgentur.* Ex quibus liquet, mentem, & spiritum Ecclesiæ eum esse.

esse ; ut etiam à Viris Eruditis notentur nāvi, quibus libera, & immunia Breviaria esse, mavult. Et recte quidem eò respexisse, quæ hactenus factæ fuere correctiones, Urbanus ipse nos docet; cum motivum, & causam, cur Breviaria corrigere aggrediebatur, esse, dixit, nempe, quod Dei Ecclesiam, utpote Christi sponsam, decebat, esse sine ruga ulla, aut macula. Quod quidem posteriorum etiam correctionum, quæ fieri poterunt, motivum, aut causam esse posse nemo jure negabit. Sed hoc ipsum ultimò asserere, placet verbis, quæ Breviarium Parisiense affert, in operis præfatione ad rem nostram aptissimis : *Cum in Breviario Parisiensi postremis temporibus nonnulla irrepissent, & ea quidem Regulis ab Ecclesia constitutis non bene convenientia; omni cura, & qua opportuit prudentia, effectum est, ut, quæ forent Ecclesiæ splendori, aut dignitati Religionis minus consona;* quæ in Homiliis Patrum spuria vel supposititia; quæ in Actis Sanctorum falsa, aut incerta, in omnibus demum, quæ pietati essent minus consentanea, ad legem, & regulam componerentur : atque adeò necesse visum est, quædam omnino expungere, nonnulla pridem omissa adjicere, ordine convenientiori multa disponere.

Quæ quidem omnia cum ita se habeant, uti hactenus ostendi, quæro jam à D. Sousa, quid sentire, malit de universis Authoribus, tam hīc, quam toto decursu Dissertationis allegatis? Quid de Em. Cardinalibus? Quid de ipsis Summis Pontificibus? Sint ne Breviarii, & Martyrologii contemptores? An in opinione sua arrogantes? An in correctionibus temerarii? „ Quæro insuper, ante quam „ dictæ correctiones fierent, an Breviarium, & Martyrologium non erant apud Romanos ejusdem authoritatis, & „ æstimationis? Erant omnino. An quando Ecclesia illa „ correxit, ideo contempsit? Absit. An antequam correc- „ tio mandaretur executioni, Baronius, aliquique non sen- „ ferunt, scripseruntque contrarium ejus, quod scriptum

„ erat,

, erat ; absque diminutione tamen honoris Ecclesiæ
debiti? Maximè. An forte definitum est, correctionem
jam factam fuisse omnino postremam , nec futuram
deinceps alteram ; quia jam , nec minimus apex am-
plius inveniatur, qui corrigi possit? Nequaquam. Quid
his quæsitis respondebit Sousa nescimus modò : vel
ergo tenebitur Palinodiam psalere , vel silere patienter.

Ex hactenus dictis satis perspectum, & explora-
tum jam est , nil in universo Opere reperiri, ex quo per-
niciosum aliquod Dogma in fide aut moribus colligi
queat. Quapropter omnino digna prælo mihi visa est
Dissertatio : tum etiam propter insignem rerum Eccle-
siasticarum Peritiam , quæ passim in illa elucet , tum
propter Eruditionem , Copiam, ac Delectum : tum prop-
ter ingenii Sagacitatem, & judicij Maturitatem in eruen-
do , decernendoque : tum propter Prudentem illam Cau-
tionem in declinanda opinionum levitate, vel offensione
justa aliorum Doctorum. In cuius rei fidem hisce subs-
cripsi Hispali, X Kalendas Majas anni M.DCC.XXXIX.

D.D. Josephus Xuarez de Estrada.

LICENCIA DEL Sr. JUEZ DE IMPRENTAS.

EL Lic. Don Geronymo Antonio de Barreda y Yebra, Canonigo de la Santa Iglesia del Señor Santiago de Galicia, del Consejo de S. M. iu Inquisidor en el Tribunal del Santo Oficio de la Inquisicion de esta Ciudad de Sevilla , Superintendente de las Imprentas, y Librerias de ella, y su Reynado, doi licencia para que por una vez se pueda imprimir, é imprima un Libro intitulado : *Dissertatio Theologico-Critica, de Argumenti ex Breviario Romano, in rebus Historicis, petit valore;* atento á no contener cosa alguna contra nuestra Santa Fè, y buenas costumbres, sobre que de comission mia ha dado su Censura Don Joseph Xuarez de Estrada, Cura en el Sagrario de la Santa Iglesia Metropolitana, y Patriarchal de esta dicha Ciudad, con tal, que al principio de cada uno, que se imprima, se ponga dicha Censura , y esta Licencia. Dada en Sevilla estando en el Real Castillo de la Inquisicion de Triana á veinte y uno de Marzo de mil setecientos y treinta y nueve años.

*Lic. Don Geronymo Antonio
de Barreda y Yebra.*

Por su mandado.

*Mathias Tortolero.
Escribano.*

COR.

CORRIGENDA.

Pro Bollandistis Scribenti, eorum morem sequi turpe non est. Quare si quæ post cussam Dissertationem excidisse animadverti; cum Typographorum erratis, indicare meum esse duxi. In primis, titulus Eminentissimi, sæpe per totam Dissertationem C. V. Joanni Thomæ Rocaberti tributus, ex cuiusdam Recentioris hallucinatione, corrigerendus omnino est; & cum excellentissimi titulo commutandus. Deinde num. 24, pro M. Francisco Rus Puerta in tractatu de Sanctis Dioceesis Giennensis, irrepdit D. Madera, de Sanctis Granatensis. Quibus Authoribus si addere placuerit Theophilum Rainaudum, M. Echard, Malvendam, Despiers, & alios, è re, & gratum mihi Lector faciet. Menda hæc sunt.

In Dedicatione plana 6. linea 19. *humaniste*: lege *humaniate*. Plana 8. linea 15, *Heribertum*: lege *Herybertum*. Plana 8. linea 11. *Heperetici*: lege *Hypercritici*. In Præfatione, *incipientibus*: lege *insipientibus*. Fol. 15. *Quaificatione*: lege *qualificatione*. Fol. 17. *emolire*: lege *emolire*. Fol. 20. *fidem*: lege *fides*. Fol. 26. *scriptas*: lege *scripta*. Fol. 55. *extiterit*: lege *extitisse*. Fol. 65. *in apparatus*: lege *in apparatu*. Fol. 90. *is*: lege *iis*. Fol. 90. 1710. lege 1715. Fol. 132. *ut*: lege *ad*. Fol. 137. *parere*: lege *patere*. Fol. 138. *nullam*: lege *nullum*. Fol. 140. *idoneus*: lege *idoneum*. Fol. 150. *rescivimus*: lege *nescivimus*. Fol. 177. *agnovissime*: lege *gnavissimè*. Fol. 178. *solotus*: lege *solutus*. Fol. 179. *Breviarii*: lege *Breviariis*. Fol. 199. *Breviarii*: lege *Breviariis*. Fol. 181. *formetut*: lege *formetur*. Fol. 186. *Thomè*: lege *Thomæ*.

Cætera leviora sunt, quæ à se facile Lector corriget.

AUTHÓRIS PRÆFATIO.



VOLVENTI MIHI DIVINORUM
Officiorum origines, ac tota animi in-
dagine conquirenti, quanti in rebus
historicis habenda esset Romani Bre-
viarii authoritas, occurrit, inter alios hu-
jus rei eruditos Tractatores, Reverendif-
fimi Patris Emmanuelis Cajetani de Sousa de gravif-
fima autoritate Romani Breviarii in re historica opus-
culum; quod inter Appendices Expeditionis Hispa-
nicæ S. Jacobi extat, loco secundo. Perlegi opus ala-
cri (ut par erat) animo; atque etiam animadverti,
quæ ab ipso regula probatur, aliàs etiam tomo pri-
mo, numero 979. tradita inter criticæ artis princi-
pia, omnium, tùm ordine, tùm firmitate, hujus eru-
diti Viri judicio facile princeps. *Nil, nempè, scribito*
contrà Breviarium, vel Missale, vel Martyrologium Ro-
manum. Lustravi singula totius operis fundamenta,
intellexique, quid in hujus rei tractatione, sua inter-
fit, tot, & tanta pro sua afferre sententia, & opposi-
tæ authores tractare acriter, quos passim fortia (ut
vocant Galli) ingenia, id est, debilia, nuncupat, &
sæpiissimè morosos Criticos, cùm, quò se vertat, non
habet, gratia, qua in illos pollet, non dubitat appe-
llare. Quæ quidem, si eruditissimi Viri legant, salva-

A

res

res est: utrorumque enim aptum, consentaneumque
iudicium formare queunt. Sciunt, nempè, qui sint,
quos morosos Criticos, qui quos fortia ingenia voca-
re audet. Sed quoniam incipientibus etiam debito-
res sumus, mihi non abs re facturum visum est; si
quæ in eo opusculo minùs verè, minùsque aptè di-
cta reperi, in medium proferrem, non authoris im-
pugnandi, sed veritatis omnibus patefaciendæ gratiâ.
Authoris eruditionem, & doctrinam ex primo tomo
Expeditionis Hispanicæ S. Jacobi probè novi: qui, si
scribendæ Lusitaniæ Historiæ præcipuam partem non
suscepisset, etiam non dubito, quin alitèr de exposi-
ta quæstione sentiret. Sed nisi Breviariis summa fi-
des tribuatur, quomodò mira, ac fide omni humanâ
majora, Acta S. Petri de Rates, & alia hujus com-
matis defendi possent? Ego verò in eruditissimi Viri
operibus miratus sum non modò ingenii subtilita-
tem, dicendi copiam, verùm etiam penè obstupui
immenfos in perquirendis, & evolvendis authoribus
labores. Sed pro diversitate operum illi accidit, quod
peritissimis Natali Alexandro, Tillemontio, & cæ-
teris Gallis contingere animadvertisimus, cùm adven-
tum Divi Jacobi in Hispanias impugnant. Erudit
quidem rem pertractant; sed veritatem pro se stare,
non demonstrant. Neque enim regula, multòque
minùs inter Criticæ artis principia primum esse po-
test, quod tradit. Id autem ut evincerem, animum
adjeci,

adjeci, tūm ad ēā; quæ affert, feriò pensanda; tūm etiam ad illa, quæ ex adverso dici possunt, colligenda. Pupugit, (id enim ingenuè fateor) ac vehementer me pupugit, pios, ac omni eruditione præstantes Viros, Baronium, Bonam, Rocaberti, Ursinum, Romanæ Ecclesiæ Cardinales, fortia ingenia appellari. Dolui, Historiæ Magistros Bolandum, Henische-nium, Papebrochium, Jianingum, & cæteros Continuatores Actorum de Sanctis, pro quibus maximè ab injuriis vindicandis calatum strinxī, morosos Criticos, Sousa Authore, apud imperitos haberi. Nec dis-simulandum putavi, Nicolaum Antonium, Ambro-sium de Morales, Ludovicum Vives, Melchiorem Cano, Hispanæ eruditionis lumen, cum imperitorum hominum vulgo, ac semicriticis recenseri. Quin etiam Galliæ præcipuos Doctores, qui hoc, vel elap-so sæculo floruerunt, Fleuri, Tillemontium, Alexan-drum, Baillet, Thiers, &, ut uno verbo dicam, ex-cellentiores, peritiioresque in arte critica viros exhibili-ri fortium ingeniorum appellatione. Hæc prima scri-bendi causa. Secunda existit Divi Augustini de Tri-nitate lib. 1. cap. 5. doctrina, docentis, perutile esse, de eadem re plures à pluribus scribi libros, non doctrinæ diversitate discretos, sed eandem diversis exponentes modis. Sic ad plures veritas pervenit, & omnium intelligentiæ se accommodat. Alia, nec mi-nus gravis, me movit causa, quod nempè, cùm eruditissimi Sousæ opus summo plausu sit exceptum,

omniumque manibus teratur; quæ illi reponi possunt, in unum collecta omnium usui esse possint. Quod quidem eo fit aptius, cùm modò prolata non sint gravisima nostræ intentiæ fundamenta, quæ, vel cursim ab ipso perstricta sunt, vel omnino omis- sa. Denique eorum, quibus profeci authoribus, ab injuriis vindicandis amor, & desiderium ultima ad scribendum fuit causa. Quod si præstitero, benemeriri de eruditissimis Viris præmium laboris erit; sin verò, tentasse, satis: quo devinctum ergà illos animum, licet cum meo dedecore, ostendam. Itaque præfatio- ni modum imponens, illud ab amicis Lectoribus præ oculis haberi vellim, me in hac re tractanda, veritatem ante omnia respexisse, summamque, quæ sacris Lectionibus circà earum usum debetur, reve- rentiam: nihilque in medium prolaturum, quod à primis Ecclesiæ Doctoribus, qui hisce ultimis faculis floruerunt, testimoniis, ac rationibus fultum non sit. Quo ostendam, derogari minimè hac disputatione Ec- clesiæ authoritati; immò in his, quæ dicturus sum, plenè (quantum filio licet) ejus mentem fuisse af- sequutum. Quæ itaque minùs sapientè dicta fue- rint, ingenii mei tenuitati tribue. Quæ verò conclu- dere, remque planè evincere putabis, ab authoribus optimis, quorum lectione profeci, profectum ducas. Deumque ter Optimū roges, sin minùs eadem tandem mecum sentias, ut nos, diversa opinantes, ad ineffa- bile lumen, quo disputationes omnes cessant, atque discordiæ, tandem perducat. YALE.



CAPUT PRIMUM.

LECTIÖNUM DE SANCTIS Origo, & usus in Ecclesia ad nostra tempora.



ACTUM ; DEQUO IN-
ter nos præcipue dissertatio
versatur, antè oculos pone-
re primò convenit, ut res
non omnibus probè nota,
ante dissertationem pateat,
maximè ad totius disputa-
tionis intelligentiam non

modò utilis, sed etiam necessaria. Sæculo quinto
Lectiones ex Sanctorum Actis depromptæ decreto
Concilii Carthaginensis Tertii legi in Ecclesiis cæ-
perunt. Liceat enim , ait, etiam legi passiones Marty-
rum, cùm Anniversarii dies eorum celebrantur. Nequè
enim

enim antea ulla de iis mentio reperitur. Quinimò adest Cassiani egregius locus, quo usum hujusmodi ante hæc tempora in Ecclesiis introductum adhuc non fuisse, apprimè constat. Cùm enim Monachorum Ægypti nocturnum Officium describeret, Lectionum Scripturarum meminit; sed eas introductas afferit in favorem Scripturæ studiosorum, omittique posse, eò quòd, nulla lege præcipiente, legebantur.

2. Usus in Ecclesiis Africæ laudati Concilii decreto permisus, communi aliarum Ecclesiæ suffragio adoptatus statim non fuit. Nam eodem quinto. labente sæculo, adhuc in Ecclesia Romana non legi Martyrum Historias, decretum Concilii Romani septuaginta Episcoporum sub Gelasio disertè probat. De iis enim sic ait: *Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab Infidelibus, aut Idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse, putantur.* Quinimò in Hispaniæ Ecclesiis extat Canon I. Concilii Bracarensis secundi, quo præscribitur, nil, præter Scripturæ verba, in Officiis legi.

3. Concilium Trullanum Canone sexagesimo primo prohibet, in Ecclesiis legere Martyrum Historias, ab Hæreticis, aut imperitis hominibus suppositas. Octavo sæculo cùm Iconomachi Ecclesiæ Occiden-

Occidentales impugnarent, quòd à nonymis, & supposititiis Sanctorum gestis uterentur, Adrianus I. reposuit in defensione pro septima Synodo Ca-rolo Magno directa, sine probabilibus authoribus nullas historias in Ecclesiis legi, quorum authorita-tibus & recipiebantur, & legebantur. Undecimo sæculo S. Gregorius VII. Officium Ecclesiasticum correxit, & expurgavit à corruptelis, quæ in ipsum irrepserant. Sed tamen nihil de Lectionibus statuit. Extat ipsius decretum in Gratiani compilatione de Consecratione, distinctione quinta cap. *in die Resur-rectionis.* Quo nil fortius excogitari potest ad hanc veritatem probandam.

4. Quo itaque tempore legi cæperint in Ecclesia Romana Lectiones de Sanctis, res est pla-nè dubia. Ex Gregorii Magni Epistola ad Eulogium Alexandrinum collegit Thomasinus *tom. 1. Discipl. part. 1. lib 2. num. 8.* illis temporibus prædictas His-torias Romæ non legi. Papebrochius, in Propyleo Maii Conatu Chronico-Historico Romanorum Pon-tificum *pag. 43.* & Pagius ad annum 302. *num. 22.* elapso sæculo docuere, antiquiores non esse quatuor, aut quinque sæculis. Fallitur propterea Propugna-tor nobilitatis S. Dominici, cùm asseruit, Adriano I. Pontifice, Lectiones de Sanctis in Ecclesia Rómana fuisse introductas. Nam licet emendatum fuerit hujus Pontificis operâ, ad Caroli Magni preces,

Roma-

Romanum Antiphonarium, quo utebantur Galli, & ad Romani fidem correctum, ut ex Chronico Sigeberti, & aliis hujus ætatis Scriptoribus constat; nihil tamen circà Lectiones decretum est, quo eorum usus in Ecclesia Romana fuisse, probetur. Quinimò explorata res est inter octavi, & noni sæculi authores, digestos fuisse per anni circulum Sermenes, & Homilias Patrum, opera Alcuini, sive Albini Flaci, & Pauli Diaconi; silent tamen quidquam ab ipsis elaboratum in Sanctorum Historiis corrigendis, sive digerendis per anni circulum, uti par erat. Quod argumento non exiguo esse potest, quo firmetur, adhuc harum Lectionum usum Romanæ Ecclesiæ consuetudine non fuisse probatum. Nec me latet, Garcolam ex fide cujusdam manuscripti Ordinis, seu Ritualis Romani, in Monasterio S. Galli servati, Adriano I. tribuisse introductionem Lectionum de Sanctis in Ecclesia Romana. Cui assentiri non possum, tūm proptèr hactenùs dicta, tūm etiam, quia non constat, an integrum, an interpolatum non sit hujusmodi monumentum, cuius antiquitatem etiam ignoramus: an nempè sufficiens sit ad factum hoc sine tergiversatione probandum.

5. Sed ut ut res se habeat, primo Christi millenario introductas, & consuetudine Ecclesiarum probatas Lectiones de Sanctis reperio. Quæ in peculiari-

culiaribus librīs, qui Passionalia Martyrum, sive Lectionaria nuncupabantur, extabant, antequām Breviarium collectum esset. Quo verò id tempore acciderit, etiam non constat. Antiquissimum omnium Breviarium Cassinense est, quod Mabilio in Gallias transtulit. In eo, licet ordo Officiorum illis temporibus servatus adamusim contineatur; Lectiones tamen ibi de Sanctis nullæ sunt. Cæpere itaque plura post saecula ex Ecclesiasticis Libris, in quibus partes Officii continebantur, Breviaria contrahi. Diverso planè modo, inæquali industriâ, & impari labore. Crevit propterea Breviariorum, sive Summariorum numerus, quoniam cuilibet Episcopo pro sua Diœcesi propria cedere Breviaria licebat. Extant innumera hujus rei exempla; sed præfixa brevitas ea referre non patitur. Puto, hæc erudito lectori non ignota.

6. Breviarii autem Romani origo ex Officio Cappellari desumitur. Saeculo decimo tertio, Nicolai III. Pontificis decreto, Cappellare Officium, quod sibi etiam adoptaverant Franciscani, ad universas Ecclesias Urbis translatum est. Quod refert Radulphus Thungrensis Decanus, de Canonicis observationibus cap. secundo vigesimo, per hæc verba: Clerici Cappellares, sive de mandato Papæ, sive ex se Officium Romanum semper breviabant, & sæpè alterabant, prout Domino Papæ, & Cardinalibus congrue-

bat observandum. Et istud Officium breviatum secuti sunt Fratres Minores. Inde est, quod Breviaria eorum, & libros Officii intitulant secundum consuetudinem Romanæ Curie::: Sciendum, quod Nicolaus Papa III, de genere Ursinorum, qui cœpit anno Domini 1277. fecit in Ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros Officii quinquaginta. Et mandavit, ut de cætero Ecclesiæ Urbis uterentur libris, & Breviariis Fratrum Minorum, quorum regulam etiam confirmavit. Unde hodiè in Roma omnes libri sunt novi, & Franciscani.

7. Cùm verò ad orbis Ecclesiæ præceptum de eodem utendo Officio non extenderetur, in antiquis perstitere moribus. Crescebat in dies Breviariorum numerus, & Typographiæ beneficio recentè inventæ in immensum usque sæculo quinto decimo augebatur. Non modò Episcopi profisi Diœcesibus, sed Capitula etiam Ecclesiarum Cathedralium, & quod mirere magis, quædam etiam Collegiatæ Ecclesiæ, peculiaria sibi effingebant, & refingebant Divinorum Officiorum Summaria. Apud eruditissimum Papebrochium articulo 18. num. 3. responsionis ad Exhibitionem errorum, memoria existit cujusdam celebris Breviarii, Ecclesiæ Collegiatæ S. Gedulæ, oppidi Bruxelensis, Diœcesis verò Cammeracensis. Ego verò sæpè vidi, & recognovi Almæ Ecclesiæ Hispalensis Breviarium

viarium; anno sexagesimo tertio saeculi sexti decimi denuò correctum, ad antiquioris fidem, cufsum Salmanticæ, collectum à Præcentore Alma Ecclesiæ Didaco Bejarano, authoritate vero Joannis Ovandi Generalis Vicarii pro Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Ferdinando Valdesio, Hispalis Archiepiscopo, qui tunc ab Urbe aberat, quod Generalis Inquisitoris fungebatur officio.

8. Gregorius IX, Leo X, Clemens VII, & Paulus III, non modò sèpè correxerant, & ad pristinum nitorem reduxerant Romanum Breviarium, sed eorum aliqui etiam cogitaverant de novo condendo, quod universo Orbi inserviret. Ad hoc collimavit labor Stephani Ferrerii in Hymnis Ecclesiasticis, jussu Leonis X, corrigendis. Huc respexit Cardinalis Quiñonis Breviarium à Cardinalitio titulo S. Crucis dictum: sed adhuc res operatis votis non cedebat, nihilque aliud iis tentaminibus efficiebatur, nisi ut præclari operis molmina jacerentur.

9. Quod ad Lectiones de Sanctis attinet, in relatis tūm Urbis, tūm etiam Orbis, Breviariis animadvertere convenit, eas præcipue collectas fuisse ex Passionalibus, sive Lectionariis, quibus antea utebantur prædictæ solūm Ecclesiæ, additis, prout ferebat tempus, iis, quæ ad novas Solemnitates faciebant: hac tamèn notâ dignâ differentiâ,

quòd in Passionalibus, sive Lectionariis ad longum vitæ omnes continebantur, legendæ ad arbitrium Chori Præsidis; in Breviariis verò summarium harum vitarum collectum est inæquali industriâ, maximâ diversitate, & pro modulo sacerdotum illorum, in quibus bonæ artes jacebant, & Criticæ judicium flocci habebatur. Qui notare velle Breviariorum differentias, tūm Ecclesiarum, tūm etiam Ordinum, quæ ex illis superfunt temporibus, opere integrō, & volumine non exiguō, Papebrochio authore artic. 18. num. 8. indigeret.

10. Concilii Tridentini temporibus, de Romani Breviarii emendatione, & extensione ad universum Orbem cogitatum est. Garcolas refert, hanc reformationem petiisse Principes, eoque scopum, & finem petitæ correctionis posuisse, ut Missalia, & Breviaria ex solis Sacris Litteris constarent: quod anteà Agobardus Lugdunensis contenderat. Episcopi correctionem necessariam iudicabant. Res itaque in Concilium delata est, ut fert Palavicinus lib. 24. cap. 8. num. 4. & Patrum votis, Breviarii, & Missalis correctio cum Indice prohibitorum, & Catechismi editione, Romane Pontifici relicta est. Agobardi verò opinio, contraria sanè Ecclesiarum consuetudinibus, optimè à Cardinali Bona, de Divina Psalmodia cap. 16. §. 14. num. 3. exploditur, & eleganti Canone ter-

tio:

tio decimo Concilii Toletani IV. de falsitate con-
victa est.

11. Opus itaque Romani Breviarii corri-
gendi cæpere Paulus IV. & Pius IV: at Pius V.
perfecit. Congregationem coegit quatuor peritis-
simorum Virorum. Illius Præses fuit Guillermus
Cardinalis Sirletus, de rebus litterariis Vir optimè
meritus: tres reliqui è Dominicana Familia præf-
tantes Viri, suêre Fr. Leonardus de Marinis, pos-
teà Archiepiscopus Lancialensis, Fr. Ægidius Fos-
cararius, Episcopus Mutinensis, & F. Franciscus Fo-
rierius, Sebastiani Lusitanorum Regis à concioni-
bus. Horum operâ Breviarii emendatio peracta est.
S. verò Pius V. opus hoc quo ad usum probavit,
ad universam Ecclesiam extendit , & omnes, qui
ad Horas tenerentur, illo uti, coegit: iis solùm ex-
ceptis, qui Breviarium habebant ab Apostolicâ Se-
de ab initio confirmatum, aut usum , & præscrip-
tionem ducentorum annorum , allegare possent;
datâ tamen iis optione mutandi in Romanum, si
vellent.

12. Salubri hoc decreto effectum est , ut
Italia, Hispania universa, Germania , &, ut puto,
Ecclesiæ omnes , Ritus Latini Breviarium Pianum
recipere, & confirmare usu cæperint ; iis exceptis,
quibus favebat prædictum decretum, nè Breviarium
mutarent. Gallis verò non arrisit , antiquumque
morem

morem Ecclesiarum servare prosequuti sunt. Garcolas capite sexto afferuit, receptum, atque impressum fuisse anno 1580. per Henricum III, ad Jesuitarum preces; sed tamen in re fallitur. Impressum fuisse, non inficior; receptum ab universis Galliarum Ecclesiis, nego. Res facti est, ab ipsis Gallis nostris temporibus repetita sæpè. Extant duo de hac re inconclusa argumenta, quibus responderi non potest. Alterum defumitur ex Breviario Parisiensi de novo correctum, quod integro post sæculo, anno nempè 1680. prodiit, cum Franciscus Harleus, Præful Parisiensis, existeret. Alterum verò est idemmet Breviarium, iterum correctum, & cussum anno 1700. Cardinalis de Noalles operâ. De Parisiensi Breviario loquitur Honoratus à Sanctâ Mariâ, tomo primo Reflexionum super regulis, & usu Critices libro primo, dissertatione 2. artic. 5. §. 2: & in Gallorum libris res est obvia.

13. Breviarium à S. Pio editum, brevi, maximâ indiguit correctione, cum typographorum incuriâ, & ignorantia, & hominum audaciâ, & temeritate innumeris scateret erroribus. Clemens VIII, novam correctionem meditatus est, cui operam dederunt eruditissimi, & rei literariæ Principes, Cardinales Cæsar Baronius, Antonianus, Robertus Bellarminus; Præsules Ludovicus de Torres signaturæ Referendarius, Joannes Baptista Bandi-

nus

11

nus S. Petri Canonicus; Regulares Michael Guisles-
rius Theatinus, & Bartholomæus Gavantus Clari-
cus Regularis S. Pauli. Ex quibus describemus pos-
teà modum, quem in Lectionum correctione te-
nuerunt.

14. Urbano VIII, cordi fuit iterùm Bre-
viarium corrigere, tùm , quia quantum ad Hym-
norum metrum poterat corrigi, aliquarum etiam
vocum pulsâ barbarie, tùm etiam , quia menda
quàm plurima ex ignorantia, temeritate, audaciâ,
allucinatione, hominum vitiis, in novis editioni-
bus videbantur. Res iterùm ad examen vocata,
commissa est doctioribus Viris, quos tunc Roma
habebat, undecim numero, singularique virtute
præstantes. Hi fuêre Aloysius Cardinalis Cayeta-
nus. Præfules Tigrinus Tigrinus, Fortunatus Scac-
chus Sacrista ex Ordine S. Augustini, Hierony-
mus Lanuvius Signaturæ Referendarius. Religiosi,
Nicolaus Richardus Ordinis Prædicatorum, Sacri
Palatii Magister, Hilarion Rancatus Cisterciensis,
Jacobus Bulponius Congregationis Oratorii Roma-
ni, Bartholomæus Gavantus, Terentius Alciatus
Societatis Jesu, qui Historiam Concilii Tridentini,
quam Cardinalis Palavicinus perfecit, meditatus
est, & prima rudimenta collegit. Lucas Vvadini-
gus Ordinis Minorum. Antonius Caracciolus Thea-
tinus. Horum laboribus, & concertationibus Bre-

viarium Clementino-Urbanum prodiit.

15. Jam verò nostris temporibus negotium hoc, inter alia, commissum est à Pontificibus Sacræ Rituum Congregationi ; quæ , ut ipsi videtur, consulto Sanctissimo, si quæ mutanda , aut corrigenda in Breviariis animadvertisit , paulatim facit, formâ, ut illius Congregationis fert mos , extrajudiciali: ut scribunt Cardinalis de Lucâ in relatione hujus Congregationis , & Hunoldus Plettembergio Societatis Jesu , in notitia Congregationum, & Tribunalium Curiæ Romanæ , anno 1693. editâ , de hac loquens Congregatione. En brevis Historiarum de Sanctis, quantum ad earum originem , & usum pertinet, descriptio , ex notitiis ferè certis confecta : quæ, quantum ad alia , quæ addi possent , & disputationi subjacent , in Dissertationis decursu , cùm vel illis utemur ad argumenta elicienda, vel ad opposita solvenda tangentius , ulterius dilucidabitur.

CAPUT SECUNDUM.

*DIFFICULTATIS NUCLEUS,
opinio Sousæ, quid nos contra
sentiamus.*

16.

Romanum Breviarium ; quo Sacra-
rum Precum materiæ continen-
tur, triplicis generis res continet.
Scripturæ Verba , Patrum Sermones , Homilias,
Sanctorumque Historias; ac demum multiplicis ge-
neris Preces , quibus Deum nostrum enixè roga-
mus. De Scripturæ Verbis nulla inter nos , neque
inter Catholicos, aut cordatos Viros disceptatio es-
se potest; cùm certò certius supponamus , Deum
in iis loqui, fallere, & falli nefcium. De Precibus
item in Breviario inclusis sermonem etiam mini-
mè inter nos esse, illud in primis convincit, quod
non ad rerum veritatem probandam ; sed ad vo-
luntates Divino igne inflammandas ab Ecclesiâ
adhibeantur: cui fini satis fit, etiam si pias tan-
tùm considerationes continerent. Ad Historias
itaque de Sanctis tota dissertatio dirigitur , quæ
facta merè historica complectuntur , nullamque

C

cum

cum rebus, sive ad fidem, sive ad mores recte informandos, habeant connexionem. Nam quæ tam affinitatem cum rebus revelatis habent, mera facta non sunt. De iis loquimur, quæ, salvâ fide, affirmari, aut negari possunt, & laudatis correctionibus subjacuere. Ut, puta, quo in loco Sanctus aliquis natus sit? an hoc opus, vel illud scripserit? an tale factum patraverit? qua Urbe mortuus? ubi ejus jaceant reliquiæ? Veræ nè sint, quæ hîc venerantur, cùm alibi eadem cultui publico sint expositæ? De iis minimis loquimur, quæ Ecclesia in cultu Sanctorum decernendo, in quo falli non potest, non respicit: quæque eruditorum indagini, industriæ, ac laboribus relinquit, quibus etiam juvari solet, quosque adhibere dignatur, cùm de Breviario corrigendo cogitandum ducit.

17. Quid in hac difficultate sentiat eruditus Sousa, exposuit prælaudato opusculo, & sæpius dixerat in disputatione de adventu D. Jacobi in Hispaniam. Post Divinas nempe Historias proxime consequi, quæ in Breviario colliguntur. Non modò probabiles esse, sed etiam historicâ certitudine quam maximâ gaudere. Nil propterea hinc colligit, docendum, aut sentiendum contra Historias in Breviario, Missali, aut Martyrologio inseratas. Tantæ certitudinis apud ipsum prædictam sunt, ut primum Historiæ principium prædictam positio-

15

positionem constituat. Neque his contentus, ulterius progreditur, nobis ostendens, quæ Saussay Tullensis Episcopus, quid Bordonus de negotiis suismodi Historias sentiant, de quibus sine temeritatis notâ ambigi non posse, affirmant: ipse verò judicium de hac re ad quos pertinet, relinquit. Poterat idcirco hæc omississe, si assentiendum prædictæ quaalificationi sibi non videtur.

18. Quantum verò mea, & eruditorum sententia ab his distet, disertis verbis expono. Non una, & eadem de omnibus Breviarii Historiis est ratio. Impar de singulis judicium efficiendum est. Quæ in eo tamen convenient, quod pari veneratione suscipiendæ sunt, & probandæ usu, observantiâ nunquam intermittendâ; nisi quando, quomodo, & quatenus iis uti ad sacras precationes jusserrit Ecclesia. Quantum ad earum veritatem, id ipsum asserimus, quod Adrianus I. nos docuit: *Vitas Patrum sine probabilibus authoribus minime in Ecclesia legi, nam ab Orthodoxis, titulatae & suscipiuntur, & leguntur.* Quæ cùm ita sint, illud sine dubitatione colligitur, prædictas Historias à fide authorum, ex quibus erutæ sunt, quantum ad veritatem pendere. Hinc rursus colligere licet, quasdam ex eis certas, quasdam probabiles, alias probabiles; non nullas verò, si authoris fides, ex quo collectæ intelliguntur, tractu tem-

potis minuatur, vel omnino vacillet, ejusdem fr̄
dei esse, dubiæ nempe, aut nullius. Hoc de His-
toriis Breviarii, quantum ad veritatem attinet, ju-
dicum est. Hæc propugnanda sententia. Sed an-
tea eruditî Sousæ methodus, & quam sequimur,
exponenda.

19. Tribus sectionibus eruditî Viri opus-
culum absolvitur. Prima duas assertiones continet,
quibus, authoritatibus Doctorum Hispanorum, &
Exterorum exposita fulcitur sententia. Secunda
sectio quinque assertiones continet, quibus proba-
tur veritas Historiarum Breviarii ex causis mate-
riali, formali, finali, efficienti, & exemplari.
Tertia sectio tres habet assertiones: in iis conatur
solutione argumentorum propriam dilucidare sen-
tentiam. Primò solvit argumenta, desumpta ex ori-
gine Breviarii, secundò ex ejus progressu, tertio ex
præsenti, quem habet, statu.

20. Ego verò prolixiorem methodum se-
quendam statui, ut res ad veritatis staterem peni-
tiùs tractetur. Ostendam, neque ad Fidem Divi-
nam, neque humanam, (si de certâ, & indubia
sit sermo) assensum, Historiis Breviarii tribuen-
dum, pertinere: harum rerum fidem ex authori-
bus, aut monumentis desumi, in quorum fidem
leguntur: nihilque autoritatem Ecclesiæ, iis uti
præscribentem, quoad earum veritatem testari,
cùm

cùm eas inferi, aut legi in Breviariis præcipit. Iis
 ita constitutis, ad diversos gradus certitudinis, aut
 probabilitatis has Historias pertinere, comitabili.
 Neque argumentum inevitabile erit : *Res hæc in
 Breviario legitur : itaque certa fide constat.* Ulterius
 etiam progrediar & ego, ostendens, nullum piacu-
 lum committi ab eo, qui Historias prædictas ne-
 gaverit, si quando optimæ rationes, authentica
 instrumenta, coevorum testimonia, aut denique
 melioris notæ authores discedendum moneant.
 Nulla itaque Theologica qualificatione meam sen-
 tentiam inuri posse, ostendam. Quinimo, certitu-
 dine Historicâ gaudere, invictis rationibus patefa-
 ciam. Quæ cùm peracta fuerint, ad Sousæ tracta-
 tum animum convertam. In quo, si authores His-
 paniæ, aut exteri consulantur, illumi præcipuos non
 habere; pro me verò stare, in medium proferam.
 Causas etiam Breviarii, quas persequitur, vel ad
 rem non facere, vel à nostrâ sententiâ disceden-
 dum non convincere. Rationes denique,
 quibus emolire argumenta nostræ sen-
 tentiæ contendit, fortius in ipsum
 insurgere, Deo favente,
 aperiam.

CAPUT TERTIUM.

*FIDES, QUÆ LECTIONIBUS DE
Sanctis tribuitur, ad Divinam non
pertinet, neque ad humanam
indubiam reduci
potest.*

21.

Lectiones de Sanctis in universum considero, cùm de illis assero ad fidem Divinam non pertinere, neque reduci posse ad certam fidem humanam. In primis, fide Divinâ non credi, etiam fatetur eruditus. Sousa num. 2773: & suadent sequentia argumenta. Quæ fide Divinâ creduntur, immobilia sunt, & irreformabilia, neque ulli subjacent mutationi; atqui Historiæ de Sanctis diversis correctionibus, & reformationibus subjacuêre, temporibus S. Pii V, Clementis VIII, & Urbani VIII, & nostris temporibus mutari possunt judicio S. Rituum Congregationis, cui hæc Provincia à Romano Pontifice demandata est: itaque ad fidem Divinam non pertinent. Rursus. Quæ fidei Divinæ sunt, ab universis Catholicis, toto terrarum Orbe,

reci-

recipiuntur, & immutata creduntur; jam vero ex relatione originis, & progressus Lectionum constat, Breviarium Romanum neque a Gallis receptum, neque a Religionibus, aut Ecclesiis privilegiatis in Bullâ S. Pii, usu comprobatum: ergo quæ in illo leguntur Historiæ, ad Divinam fidem non pertinent.

22. Neque vero Theologicæ veritates sunt, quæ ex revelatis per certas consecutiones, aut probabiliores eruantur. Nam, qui hoc asseruerit, tenebitur, duo ostendere: alterum, quodnam sit principium revelationum, in quo hæc contineantur? alterum vero, vim illationis certam, aut probabiliorrem esse. Quod hactenus ego demonstratum non vidi. Neque etiam, si negaretur veritas Historiarum, in Breviario insertarum, colligi posset, aut suspicari, talia negantem malè de Romani Pontificis autoritate sentire. Nam, asseri à Romano Pontifice res hujusmodi, autoritate, quâ pollet infallibili, dici non potest; nisi simul dederis, prædicta ad fidem Divinam pertinere: quod uterque nostrum æquè negat.

23. Ad fidem ergo humanam pertinet affensus, qui laudatis Lectionibus tribuitur. Ad fidem, inquam, suâ naturâ fallibilem, in qua nil prudenter creditur, quod gravibus fundamentis non nitatur: in qua etiam prudentiæ est non existere.

gūæ nil temerè admittere. Fidem tamen; quæ iis
tribuitur, certa non est, si in universum confide-
rentur. ^{Kreuz} Quod evincere ad evidentiam usque, mihi
videor, primò ex autoritate Pontificum, Gellasii
nempe I, Adriani I, Pii V, Clementis VIII, Ur-
bani VIII. Quorum testimoniis conficitur, proba-
bilia solùm esse, quæ in Breviario leguntur, de
Sanctis gesta. Expendam verò horum Pontificum
textus sequenti capite.

24. Eadem veritas secundò ex Doctorum
dictis stabilitur. Non conveniunt in veritate om-
nium Historiarum asserendâ. Itaque res certa, &
indubia inter authores non est, quæ in Breviario
inseritur. Sententiam, quam sequor, innumeri au-
thores ante, & post correctionem, tenent. Agmen-
ducit doctissimus, & eruditissimus Cardinalis Tur-
recremata in Decretum dist. 5. cap. Sancta Romana.
Sequuntur Melchior Cano de locis lib. 11. cap. 6.
Ambrosius Morales ante lib. 9. Historiæ Hispa-
niæ. Ludovicus Vives. Cardinalis Baronius in ad-
dendis ad num. 10, columnâ 1098, & tom. 2.
ad annum 302, numer. 103. Cardinalis Ro-
berti Hispaniarum Generalis Inquisitor de Romanis
Pontificis autoritate extra Concilium tom. 1. lib.
2. cap. 13. à num. 29. ad 32. Cardinalis Bona
de Divina Psalmodia cap. 16. parag. 6. num. 2.
Cardinalis Ursinus, qui postea creatus Pontifex,

Bene.

Benedicti XIII sibi nomen imposuit, in Dissertazione de S. Bartholomæi Reliquiis Benevento dicatis, anno 1694. editâ, artic. 7. Nicolaus Antonius in Bibliotheca veteri lib. 5. cap. 1. num. 16. Holstenius in opusculis Romæ editis anno 1663. Henschenius, & Papebrochius, cæterique hujus præclarissimi Operis Continuatores diversis in locis, quos referre, longum esset. Sed præcipuè Papebrochius dilucidè, & accuratè rem tractat in responsione ad Exhibitionem errorum art. 17. & 18. Eandem confirmant sententiam Gavantus in Thes. Sacror. Rituum sect. 5. cap. 12. num. 16. Emmanuel Schelstrate non semel idem docuit in Antiquitate illustratâ. Doctor Madera de Sanctis Granatenibus. Doctor Ferreras part. 16. cap. 2. & part. 12. num. 13. Magister Frater Hyacinthus Serry in opusculo de Monachatu D. Thomæ anno 1725. edito, cap. 8. pag. 76. num. 5. Michael à S. Maria in opere, quod contra adventum D. Jacobi in Hispaniam scripsit. Magister Segura in Norte-Critico, sive Critica en la Historia, idiomate Hispano scriptâ, & jam bis cusa. Ex Gallis, & Belgis nostram asserunt sententiam innumeri viri virtute, & doctrinâ præstantes, quos numerare omnes, impossibile, præterire præcipuos, ingratitudinis esset. Inter hos numerandi sunt Natalis Alexander, Tillemontius, Fleuri, Thiers, Baillet,

Moreri verbo *Breviario*, Pagius ad annum 302.
 s. Marcellini, Desirantius, Christianus
Brevi. Lupus.

25. Relati authores, numero, religione,
 dignitate, & doctrinâ præstantes, dilucide negant
 hujus illationis vim: *Historia hæc in Breviario legi-*
tur: ergo certa ei fides tribuenda est. Pro omnibus
 loquuntur ante correctionem Melchior Canus, &
 post illas Nicolaus Antonius, quorum. ille post-
 quam rem accuratè tractaverat lib. 11. de locis
 cap. 5. in responsione ad 13. argumentum, ita
 concludit: *Maneat, Divorum gesta, quæ in Ecclesia*
legi solent, despici nullo modo opportere. Quamquam non
nulla ex his incerta sunt, apocrypha, levia, falsa. Nam
& pleraque credibilia, ac vera sunt, quædam etiam cer-
ta. Nicolaus Antonius lib 5. Bibliothecæ veteris cap.
 1. num. 16. similia habet: *Solemnis quidem recitatio*
harum Historiarum, in Ecclesiis, aut foris; admissioque
in Ecclesiasticos libros, non eatenus quidquid continent,
vero mancipant. Quin sæpiissimè incerta, immo & falsa
quædam, absurdaque in eis legantur. Quem insigniter,
ac ut viros probos, judicioque subacto utentes decu-
locum pertractarunt Ludovicus Vives, Melchior
Canus, Papirius Massonus,
aliisque hujus com-
matis.

CAPUT QUARTUM.

*VERITAS HISTORIARUM DE
Sanctis ab authoribus, ex quibus sunt
erutæ, unicè pendet.*

26.

Eia age, nec fidei sunt divinæ ; nec humanæ indubiæ , Historiæ Sanc-
torum, quæ in Breviario leguntur.
Quare, ut ulterius progreedi possi-
mus, illud inquiri debet, quo nempe earum veri-
tas, seu verisimilitudo pendeat ? Num in earum
authores unicè referatur ? Num ab Ecclesiæ au-
thoritate , eas proponente ad Officiorum usum , ve-
ritatis aliquid accipiant ? An denique correctorum
diligentiâ , & doctrinâ temporibus Clementis VIII,
& Urbani VIII, qui huic rei navarunt operam, ad
illum certitudinis gradum devenerint , ut ulterius
perfici, dilucidari, aut corrigi non possint. In his
subitationibus ego sic statuo : veritatem prædic-
tarum Historiarum ex earum authoribus tantùm
desumi ; approbationem verò Breviarii, aut Lectio-
num quoad earum usum, veritatem, aut verisimi-
litudinem earundem non respicere : ac denique,

D 2

licet

licet Breviarium nullum Clementino-Urbano perfectius unquam extiterit, ante illius editionem, posse tamquam quantum ad Lectiones attinet, perfectius quid in eo genere in lucem edi: cùm nimis Romanus Pontifex novam correctionem meditaretur. Cùm autem hæc tria probavero, rem tenere, mihi videor. Probabo autem primum hoc capite, secundum verò, & tertium sequentibus.

27. Gellasius I. in Concilio Romano septuaginta Episcoporum, de gestis Martyrum, & Sanctorum Historiis loquitur, docetque, quomodo hæc recipiantur, & legantur à Catholicis. Duo tradidit ad rem nostram maximè opportuna. Primum, Historias Martyrum ab Anonymis, aut Pseudonymis authoribus compositas, & ab infidelibus, aut idiotis interpolatas in Ecclesia Romana idcirco non legi. Ideò secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.

28. Alterum, quod tradit Gellasius in eodem Concilio de vitis Patrum, quas vir beatissimus Hieronymus scripsit, de actis B. Sylvestri, de scriptis inventionum Crucis Dominicæ, & Capitis S. Joannis Baptistæ, est æquè per opportunum.

num. Nam de Historiis, ab authoribus satis notis de scriptis, sic fidem adhibendam statuit. *Novelle*, inquit, *revelationes sunt, & non nullius extractus leguntur; sed cum haec ad Catholicorum manus pervenerint, Beati Pauli Apostoli sententia præcedat: omnia probate, quod bonum est, tenete.* Ex his duobus locis colligitur, Historias de Sanctis, ab Anonymis compositas, aut interpolatas, aut de veritate jure suspectas, posse non credi, quæ juxta Ecclesiæ antiquum usum non legebantur. Atque etiam, quæ ex authoribus notis leguntur, eorum stare fide, nihilque præterea à Gellasio in earum Lectione requiri.

29. Eadem veritas ostenditur ex Adriani I. litteris ad Carolum Magnum pro defensione Concilii secundi Nicæni actione 5. paragrapho *ex sensu*, quæ extant in editione Conciliorum Patris Harduini tom. 4. fol. 811, ubi ita Adrianus loquitur: *Vitæ enim Patrum sine probabilibus authoribus minimè in Ecclesia leguntur. Nam ab Orthodoxis, titulatæ, & suscipiuntur, & leguntur.* Ita respondet Iconomachis objicientibus, *vitas Patrum, quorum ignorabantur authores, non esse prorsus idoneas ad testimonia danda, & ad hæc, quæ in contentione veniunt, confirmanda.* Responsione autem expositâ hæreticorum argumentum planè labitur, & nostra sententia inde exurgit: *veritatem scili-*

cet

26
cet prædictarum Historiarum in suos referens au-
thores. Atque etiam convincitur usus Ecclesiæ us-
~~rectius~~
que ad octavam sæculum, legendi hujusmodi ope-
ra in authorum fide, à quibus scriptas esse, perhi-
bebatur.

30. Aliud argumentum inde peto , quod
licet ab Adriano I. usque ad S. Pium V. plurimæ
extiterint circa Divini Officii reformationes , non
nullaque Pontificum decreta, primo relata capite,
nihil circa Lectiones innovatum reperitur. Neque
siquis de his interea sermo incidit, diversus à præ-
dictâ doctrinâ esse videtur ; imò Ecclesiæ praxis
ante, & post Breviaria edita , in authores refun-
dendi earundem Historiarum veritatem convin-
citur. Cùm enim Legendaria in Ecclesiis, seu Pas-
sionalia extabant, ex authoribus desumptæ erant
Historiæ , quæ in iis inferebantur , in eorumque
legebantur fide. Quod si non nihil in iis omis-
sione peccatum, aliquando reperiatur, sæculis bar-
baris, & Collectorum imperitiæ tribuendum est.
Cùm verò Breviaria cæperunt contrahi ex autho-
ribus, aut Legendariis, Martyrum vitæ desumptæ
sunt, suppositis, vel notatis eorum nominibus.
Quod non semel in nostris Breviariis dilucidè ex-
primitur. Hac verò Ecclesiæ praxi docemur, His-
torias, quæ in Ecclesia leguntur, à suis authoribus
quoad veritatem tantùm pendere.

31. Aliud non minus efficax argumentum ex Bulla S. Pii V, Breviario præfixâ, eruitur. Probat enim laborem in perficiendo breviario collatum: illo uti jubet; & hæc inter alia, ad rem nostram addit. Cum intelligeremus eos in rei confectione, ab antiquis Breviariis nobilem Ecclesiarum Urbis, ac nostræ Vaticanæ Bibliothecæ non discessisse, gravesque propterea aliquot eo ingenere scriptores sequutos esse; ac denique remotis his, quæ aliena, & incerta essent, de propria veteris Officii summa nihil omisisse; opus probavimus, & Romæ imprimi, impressumque divulgi jussimus. Quibus verbis luculenter ostendit, veritatem Historiarum ex antiquis Breviariis, gravibusque authoribus defluere, quos periti viri, quibus ea est provincia demandata, sequuti sunt. Quod si Breviarium asserat probavisse, intelligendum est de illo Breviario, cuius Lectiones de Sanctis in authores retulerat; nihil circa earum veritatem decernens, nisi quod gravi nixæ fundamento eō tempore judicabantur.

32. Ex correctionibus Clementinâ, & Urbanâ aliud non minus efficax propositæ veritatis conficitur argumentum. Cum enim ab erroribus, sive typographorum incuriâ, sive hominum audaciâ, statuisse purgare Breviarium S. Pii Clemens VIII, Lectiones de Sanctis non ad fidem Breviarii S. Pii originalis, sed ad Authorum scripta examinatae,

minatæ sunt, atque ita probatæ. Quapropter ostensum est, veritatem prædictarum ab authoribus historicis, ieu^{Breviariorum} antiquis monumentis, unicè manare. Res eadem evidentiùs inspicitur in quodam facto, cui ipsa correctio præbuit occasionem. Adventus D. Jacobi in Hispaniam, tanquam res certa in Breviario S. Pii legebatur. In Clementinâ verò correctione ejus fides ad peculiarem Hispaniæ traditionem redacta est. Id vehementer displicuit Hispanis, ut par erat, Rexque noster iterum examinari hanc rem consequutus est. Producti sunt eruditissimorum virorum libri, quibus adventus D. Jacobi invictissimè probabatur. Quo factō redita est Breviario, quæ ab illo ablata fuerat, clausula: & nobis ostensum est, similes veritates non ex insertione in Breviario, sed ex authoribus, & documentis pendere. Nam res eadem modò absolute, modò cum addito, in Breviariis diversis temporibus collocata est. Cùmque variationem in Clementinâ correctione fieri conarentur Hispani, audiretque Roma, ad scripta, ad disceptationem, ad antiquorum testium examen ventum est, Breviarii insertiones nihil morantes. Quo etiam ex facto aliud colligo non inopportunum. Quantis scilicet in his correctionibus potuerint privatæ Correctorum opiniones. Adventus enim D. Jacobi in Breviario Piano descriptus, quem plurimi fulcie-

fulciebant testes, & nulla ratio acriter impugnabat, peculiari Cardinalis Baronii opinione ad minorem certitudinis gradum redactus est.

33. Venio jam ad Urbani VIII correctiō nem. Quid in eā circa Lectiones fuerit actum, in Bulla Breviario affixa disertè afferuit. Ex priscis enim, & probatis authoribus collecta, quæ in illo legebantur, Sanctorum gesta. In illorum itaque authoritatē assensum retulit. Quod autem elevare, quæ hactenus diximus, mihi maximè videtur, illud est, prædictas Historias si ad indubiam veritatem reducere in animo fuit Urbani, cur antiqua Breviaria à Clemente, & Pio correcta non consuluit; sed priscos, & probatos authores quæsivit, ut illorum fides stabiliretur? Si enim hæc Pontificū authoritate quoad veritatem probarentur, non minorēm à S. Pio V, & Clemente VIII. veritatem accipissent, quam ab Urbano VIII accipere unquam poterant. De rebus itaque à S. Pio probatis examen de novo aperitur à Clemente VIII: & quæ ab hoc fuerant probata, iterum ab Urbano VIII. examen vocantur, & Historiarum veritas ab authoribus antiquis ubique fulcitur. Quapropter approbationes ejusmodi veritatem Historiarum respicere, afferendum non est.

34. Optimè ad rem nostram loquitur Gayantus loco superius citato, qui Clementinæ, &

Urbanae correctionibus interfuit. De Lectionibus
 secundi Nocturni, quas modò habemus, asserit, re-
 cognitas, & approbatas fuisse sub Clemente VIII à
 Cardinalibus Bellarminô, & Baroniô. Jam verò ad-
 dit rejectas fuisse falsas, & parum probabiles His-
 torias. Probabiles verò, de quibus inter authores
 dubium vertebar, retentas fuisse, quamvis oppo-
 sitæ sententiæ à pluribus reciperentur, ne in iis
 mutasse omnia viderentur. *Quas nunc habemus se-
 cundas Lectiones ex Historiis Sanctorum, eæ fuerunt à
 Cardinalibus Bellarmino, & Baronio recognitæ, & ap-
 probatæ sub Clemente VIII, qui rejecerunt ea omnia,
 quæ jure merito revocari poterant in dubium. Quia in re-
 perdifficili, visum est illis ad Historiæ veritatem bona fi-
 de restituere Sacras Lectiones, idque minima, qua fieri
 potuit, mutatione: immo quæ controversa erant, alicujus
 tamen gravis authoris testimonio suffulta, aliquam ha-
 berent probabilitatem; retenta sunt, eo modo, quo erant,
 cùm falsitatis argui non possint; quamvis fortasse alte-
 ra sententia sit à pluribus recepta.* Prosequitur mo-
 dum, quem in Chronologicis, Ordinationibus Pon-
 tificum, & Patrum locis restituendis tenuerunt
 quem locum opportuniùs alibi expendam.

35. Non leve argumentum inde peto ve-
 ritatis initio propositæ, quod scilicet Lectiones ex
 Breviario ablatæ, ut, puta, S. Georgii, S. Ursulæ, &
 Sociarum, & hujus generis aliæ, quas in Urbano
 Brevia-

Breviario non habemus, ideo fuerint expunctæ, quia authores, à quibus narrabantur, nullius esse fideli censoribus est vitum. Imò ea omnia, quæ Gavantus retulit, in Clementinà correctione fuisse omissa, non aliâ de causâ ablata fuere, nisi quòd supposititiis, aut falsis niterentur authoribus. Itaque, quæ in ipso manferunt, vel ipsi de novo inseruntur, non aliâ fide pendent.

36. Denique Historiarum naturâ eadem veritas patet. Facta ipsa contingentia, quibus Historia constat, cùm percipi in se, aut in eorum causis à nobis non possint; neque effectus post se relinquant, ut plurimum, quibus dignoscantur, vel ex divinâ revelatione, vel ex humanâ fide cognoscitantummodo valent. Cùm autem Historiæ Breviarii ad fidem divinam non pertineant, humanâ credi necesse est. Jam verò humana fides in idoneos testes, vel apta instrumenta resolvitur. Ex his igitur fides, & prædictarum veritas desumitur. Plurima occurrabant, quibus proposita veritas ulterius probabatur; sed his parcere in animo fuit, ne res adeò clara argumentorum multitudine obscurior redderetur.

CAPUT QUINTUM.

*VERITAS HISTORIARUM DE
Sanctis nullo modo asseritur à Ponti-
ficibus, illas probantibus, aut pro-
ponentibus ad usum Of-
ficiarum.*

37. **V**eritas præsenti capite probanda, brevi, sed efficaci ratione constat. Si enim daretur vel unum Romanorum Pontificum decretum, vel una Conciliorum definitio, qua Historiarum Breviarii certitudo assereretur, vel iudicio reflexo eas esse veras affirmaretur, finita lis esset: manus victas darem, nam rem teneres. Quod si prius terra feret stellas, cœlum findetur aratrō, quàm impleri hæc possint, fateri debemus, veritatem prædictarum Historiarum à Romanorum Pontificiū authoritate nullo modo disfluere.

38. Triplici consideratione respicit D. Thomas quodlibetō octavo, articulo ultimō, Romanum Pontificem loquentem. Primò de rebus ad fidem, vel mores pertinentibus: secundò de peculiaribus factis:

factis: tertio verò de rebus connexis cum fidei veritatibus, aut morum doctrinis, uti cum Sanctis apoteosin decernit, vel Religiones approbat, aut de his similibus nos docet. Qua suppositâ doctrinâ, consideremus & nos Romanum Pontificem de Breviarii Historiis loquentem. Jam verò in his non loqui de rebus fidei, cap. 3. ostensum est: nec de rebus connexis cum fidei veritatibus, cap. 2. supposuimus. Itaque considerare illum solummodo possumus, ut loquentem de peculiaribus factis. Qua consideratione docuit D. Thomas, ut privatum Doctorem loqui Pontificem, & idcirco falibili authoritate. Ruris, quæ incerta sunt, per additionem falibilis authoritatis indubia non redunduntur. Hæc satis erant ad veritatem probandam: sed juvat, rem hanc prolixius expendere.

39. Duo sunt, quæ dubitationem huic veritati parere possunt. Alterum, quod Breviarium approbatum fuerit à S. Pio V, qui disertè de illo ait: *Opus probavimus*. Alterum, quod prædictæ Lectiones legendæ proponantur in Ecclesiis à Pontificibus. Sed neutrum horum, vel utrumque, probat, veritatem Historiarum de Sanctis, à Pontificibus asseri. Breviarium probavere, collectionem nempe precum, & Lectionum, Ordinem partium, & dispositionem: quis neget? usum etiam propitarum Lectionum fuisse præscriptum, neuter no-

trum

54

strum dubitat. Sed cuilibet harum partium sua propria servatur veritas. Quæ ex Scripturâ sunt, in talibimâ sunt. cætera, ut plurimùm, humanâ fide, cuilibet respondente, tenentur.

40. Patrum scripta probata esse ab Ecclesiâ, & in Ecclesiis legi, Breviarium ipsum ostendit. Sed tamen non omnia, quæ continent, quoad veritatem judicio Ecclesiæ probata sunt. Ab his difcedere, salvâ reverentiâ Patribus debitâ, licet. Vide, quid ipsi Sancti Patres nos doceant. S. Hieronymus in epistolâ ad Ctesiphonem ait: *Aliter habendi sunt Apostoli, aliter reliqui tractores. Illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines errare contingit.* S. Augustinus in epist. 19. ad S. Hieronymum idem confirmat. Alios, inquit, ita lego, ut quantalibet Sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita senserunt ipsi, sed quia mihi vel per authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non aberrant, persuadere potuerim. De argumentis etiam, quæ non ex Scripturâ, sed ex Patrum scriptis Theologia eruit, hæc docuit D. Thomas 1. part. q. 1. art. 8. ad 2. Utitur autem auctoritatibus aliorum Doctorum Ecclesiæ, non quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. Idem confirmatur ex Decreto Gratiani cap. Nolli 3. dist. 9. Ubi Barbosa ostendit, Sanctorum Patrum dicta non esse necessariò pro lege admittenda.

da. Sunt etiam multa , quæ ab ipso Augustino traduntur , quorum contraria placuerunt Hieronimo. i. alia , quæ , et si ad religionem , & fidem pertineant , possunt in controversiam deduci , & examinari , an sint contraria veritati , quæ eo tempore latebat , postea vero in lucem prodierunt , Ecclesia Romana definiente . . . Sanctorum virorum scriptis eamdem fidem tribuere , quam jubet Gelasius tribui Epistolæ S. Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum , mera est allucinatio , & temeritas viri parum intelligentis : : Duorum Sanctorum Patrum authoritas in iis , quæ ad sacras litteras , & doctrinam fidei pertinent ; probabile quidem argumentum subministrare potest , firmum vero non est.

41. Innumera hujus rei exempla suppetunt : pauca vero innuam. Non modò Lectiones de Sanctis , sed etiam Patrum Sermones , aut Homiliæ , quæ quibuslibet diebus leguntur , eadem Romanorum Pontificum autoritate afficiuntur : quorum jussu in Breviariis sunt inserta , & decreta ab Ecclesiâ leguntur. Quæ cum ita sint , quæ rite licet : cum Patres in eodem Scripturæ exposiendo textu contrariantur , diversisque eorum expositiones diebus leguntur , quamnam ex iis iudicio Ecclesiæ quoad veritatem probatam existimabimus ? Dissentire inter se ambas expositiones , supponimus .

Pro-

Probatam utramque ab Ecclesiâ, afferimus. Ambas autem esse veras, affirmare non possumus. Quod si, aut utramque, aut nullam veram dicere ex probatione à Pontificibus conveniret, concludere necesse est, approbationes has hujus esse generis, quæ veritatem decernendam non respiciant.

42. Asceticorum librorum pro fidelium privato usu, & utilitate ab Ecclesiâ probata lectio, quæ hactenus diximus, pari ratione confirmat. Piarum considerationum multitudine sunt referti: utiles quidem ad pietatem fovendam maximè; sed res, quæ ita considerantur, utrum pariter eodem modō acciderint, non æquè affirmatur, nec ab Ecclesiâ quidquam in id decernitur, cùm planè diversas Fidelium considerationes legi, & usui esse permittat. Exemplo esse possunt ea omnia, quæ de Christi Domini vitâ Canonici authores, aut antiqui Patres siluerunt. De iis enim plures circumferuntur, sive privatas, dicas revelationes, sive devotas animi considerationes, quibus plures refert quæstiones Illustrissimus, & doctissimus Vir Corubensis Episcopus. Siuri in expositione Evangeliorum. Toto hoc opere mirandus est labor, quem insumit in considerationibus his inter se oppositis, congruenti nexu fœderandis; sed non semel illi necesse est harum nonnullas considerationes relinquere, falsasve putare.

43. Quæ omnia clarissimus, & omni eruditione conspicuus vir Cardinalis Turrecremata in expositione Decreti ad distinctionem 15. cap. Sancta Romana complexus est. Quo quidem in loco duas aureas protulit sententias, ita ad præsentem tractationem facientes, ut unâ avulsâ, altera non deficiat, ad veritatem stabiendi. Quærit ibidem 2. utrum Sanctorum Patrum opuscula ab Ecclesiâ recepta, sint etiam ab eâdem approbata? Negativè respondet, & hæc colligit opportuna. Secundo modo etiam aliqua Sanctorum Patrum opuscula recipit Ecclesia ad usum Lectionis; sive ad expositionem Sacrae Scripturæ, sicut opuscula Sanctorum Patrum in Commentis, sive in Homiliis Sacræ Scripturæ; sive ad doctrinam morum sicut sunt opuscula Sermonum Sanctorum Patrum; sive ad commemorationem gloriae triumphorum Sanctorum Martyrum, & vitæ gloriofissimorum virorum, sicut sunt opuscula gestorum, & Historiarum Sanctorum, & vitæ Patrum; sive ad ordinem divinorum Officiorum, ad quæ de opusculis Sanctorum Patrum multa assumpta sunt. Hæc autem opuscula licet Ecclesia sunt recepta ad usum Lectionis, & cum veneratione iis utatur, tamquam probabilibus; non tamen sunt approbata, ut non liceat aliter sentire, aut exponendo, aut interpretando, aut tamquam ipsi opusculorum authores censerunt, aut interpretati sunt. Unde Augustinus in Epistola ad Fortunatum: neque quorum-

libet dispositiones, & expositiones quamvis Catholicorum
 & Laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas ha-
 bere tenemus; ut non liceat: salva honorificentia, quæ
 illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis impro-
 bare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter
 censerunt, quam veritas habet; divino adjutorio ab aliis
 intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliq-
 rum, quales volo esse intellectores meorum.

44. Quærerit 2, laudatus Cardinalis, utrum
 ex probatis Sanctorum Patrum opusculis omnia, &
 singula, quæ in eis dixerunt, approbata censeantur?
 Negativè etiam respondet: quod proprium
 solius Sacrae Scripturæ sit, nihil falsi continere.
 Verba ejusdem Cardinalis non refero, ne in longum
 res eat. Ex relatâ ejus sententiâ colligitur,
 quod licet probatum ab Ecclesiâ Breviarium quo-
 ad veritatem dicemus; non omnia in eo con-
 tenta, & singula extra dubium remanerent, cum
 id sibi in approbationibus similium Ecclesia non
 proponat.

45. Venio jam ad alterum, caput, ex quo
 colligebatur, veritatem Lectionum ab Ecclesiâ as-
 feri, quod nempè ab eadem legendæ proponantur.
 Sed eodem modo, quoad usum probatas ab Ec-
 clesiâ dixi, propositas etiam assero. Et quo pacto
 earum veritatem non probatam ostendi, eodem
 prorsus in propositione illarum veritatem non re-
 picere,

picere, etiam, atque etiam contendō. Similia hæc sunt, ex dictis hactenus ferè probata: sed addam alia, quibus dilucidiùs firmantur. Primo, insignis Theologus Joannes Gerson Parisiensis Cancellerius, 2. tom. operum, libello, qui inscribitur *Declaratio veritatum, quæ credendæ sunt de necessitate salutis*, loquens de Sanctorum Lectionibus, sic statuit: *Magis hic attenditur id, quod pia recogitatione fieri potuit, quam illud, quod factum est.* Et hoc apud Oratores celeberrimum reperitur, qui ex aliorum personis dicunt ea, quæ personæ non dixerunt, sed quæ dicere potuerunt, sicut in legenda Beatæ Agnetis, & S. Sebastiani. Eximius Doctor, quem ad astra (ut ejus scripta merentur) eruditus Sousa effert, disertè docuit, Lectiones de Sanctis ab Ecclesiâ proponi sub ratione piarum, & probabilium Historiarum. Ita loquitur tom. 3. in 3. part. disput. 83: *Quo circa in Ecclesiasticis Officiis opportet distinguere ea, quæ ab Ecclesia proponuntur tantum ut humana fide certa, aut probabiliora, ut sunt Historiæ Sanctorum, & alia similia, quæ tantum proponit Ecclesia ut piè, & probabiliter credita.* Piè autem, & probabiliter credita, si quantum ad veritatem examinarentur eo rigore, ac crisi, quo Historiæ nostro sæculo discutiuntur, inveniri possent plura, etiam minus probabilia, quædam falla, & nonnulla apocryphis niti.

46. Certitudinem itaque non respicit in his

ad Lectionem proponendis Romanus Pontifex.
Quod etiam loculentissimis verbis docuit Annalium Parens in Appendice ad decimum tomum: cuius etiam verba in posterioribus editionibus extant tomo secundo ad annum 301. in vitâ S. Marcellini num. 103. Post editum, inquam, de Marcellini lapsu judicium, post Breviarium tempore Clementis VIII ab eodem Cardinali quoad Historias correctum, mirabantur plurimi eruditione præstantes viri, relictas fuisse in Breviario Lectio-nes, quibus ejus lapsus, & Sinuessoanum Concilium referabatur. His satisfacit, verbis, quæ sequuntur:
 Porrò iis addere ista compellimur, quod post vulgata ista nostra, diligenterque examinata à viris sanè doctis, eosdem scriptis suis vehementissimè nos compellasse, indignè ferentes, Marcellini Papæ integritatem male tradi-
 cudi Commentitiis actis illis nullius ponderis existenti-
 bus, levissimisque argumentis (ut ajunt) nomen Mar-
 cellini ab omnibus benè acceptum, & magnæ aestimatio-
 nis habitum, infamari; afferentes, acta illa non nisi ca-
 lidè excogitatum commentum fuisse Donatistarum; idque
 validis sanè argumentis probare conati, de Martyro-
 gio, atque Breviario Romano queruntur, quod ista in
 Ecclesia recitanda contineant. Sed sciant (vellim) Ro-
 manam Ecclesiam antiquitatis tenacissimam, quæ ante
 octingentos annos ita publicè lecta reperit, haud adeò fa-
 cilè convellenda, quamvis sibi valdè molesta putavit.

Cæterum eandem ipsam Romanam Ecclesiam non sicut Evangelium (quod Gellius monuit) legere consueuisse, vel legenda proponere quælibet Sanctorum acta, sed potius ea cuncta Apostolica illa lance libranda relinquere; omnia probate; quod bonum est, tenete. His, & similibus Baronii sententiis collegit, & probavit nostram sententiam Magister Serry in opusculo *de Monachatu D. Thomæ*, ex Baronii mente.

47. Negavit Eminentissimus vir Cardinalis Rocaberti lapidum S. Marcellini, tom. 1. de Romani Pontificis authoritate extra Concilium, lib. 2. cap. 13: cumque numero 2932. sibi objecerit Romani Breviarii de hac re affirmationem, responderet primò, Ecclesiam solùm à nobis exigere, ut hisce Historiis fidem eâ ratione adhibeamus, quam eadem merentur facta. Atque in hanc rem assertum laudatum superiori numero Baronii testimonium. Respondet secundò, Ecclesiam in Sanctorum factis Historialibus, sicut in iis, quæ ad eorum attinent cultum, sequi, quod communiter receptum est, quodque ad probabilem opinionem, gravissimorum authorum nixam judicio, sufficit; quin hinc deducatur, non posse nos oppositum probabiliter opinari: cùm Ecclesia ea, quæ in Sanctorum actis continentur, credenda non proponat. Sic in solemnitate Sanctorum Martyrum Januarii, & Sociorum legitur Homilia Sancti Hilarii in vi-

gessi-

gessimum quintum caput S. Matthæi, qui afferit, Nicolaum ex septem Diaconibus unum, parentem fuisse Nicofitarum; cum tamen Eusebius, & Sancti Ignatius Antiochenus, & Clemens Alexandrinus id negent.

48. Benedictus XIII in dissertatione de reliquiis S. Bartholomæi, Benevento vindicatis, quam, dum Cardinalis esset, composuit, articulo 7. rem nostram enucleatiùs tractavit: ita verò habet: *Breviarium maximæ quidem authoritatis esse, in iis, quæ per se ad cultum Ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis, aut gestis, quæ in vitis Sanctorum ex occasione referuntur; ita ut efficax argumentum indè peti non possit; ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Neque enim Ecclesia ipsa, quæ illis utitur, inconcussæ, infalibilisque veritatis judicat, quæcumque Breviariis sunt inserta; cum multoties pro variis temporibus varia ex occasione ea mutaverit, correxeritque. Probat id claris exemplis, atque ita concludit: Quæ omnia argumento sunt, non illicè putanda esse ab omni aberratione historica, libera Breviaria, sed magna plerumque spongia egere; licet illa in suum usum usurpet Ecclesia. Pergit verò ostendens, Breviarium Clementino-Urbanum omnino suis non carere nævis: quæ verba alibi opportuniùs transcribam. Sed his omnibus notandum est, prædictum Cardinalem Pontificem factum, prædicta non retractasse,*

tasse, aut iis uti prohibuisse. Quo colligam, in suo vigore Pontificem factum, eadem habuisse; atque etiam nostrae sententiæ, ut privatum Doctorem eximum Patronum perstitisse.

49. Lectiones itaque de Sanctis neque ab Ecclesiâ, ut veras propositas, neque probatas, ostendimus. Modò caput absolvam, nec probari posse, aut proponi judicio Ecclesiæ, falli nefcio, contendens. Neque enim prædictæ Historiæ fidei sunt, neque Ecclesiæ definitioni parantur Doctrorum consentione, fidelium unanimi consensu, Patrum ve concordi testimonio. Quapropter tales esse hujusmodi necesse est, ut earum veritas à Romano Pontifice, tamquam Ecclesiæ capite asseri non possit. Non, inquam, potestatis defectu, sed materiæ ipsius, certitudinem non ferentis. Meminisse hîc iterum abs re non esset, quæ superiùs dixerunt Gellasius I, Adrianus I, cæterique relati Pontifices. Quæ postquam in memoriam fuerint redacta, alia addere juvat.

50. Martyrum Historiæ ferè omnes perierunt. Testatur id Eusebius, de Diocletiani loquens persecuzione, lib. 18. cap. 3: *Per Imperatoris (inquit) Diocletiani litteras palam edictum fuit, ut deturbarentur Ecclesiæ, soloque æquarentur, ut Scripturæ absumerentur igne.* Quam sententiam dilucidiūs Baronius tradidit ad annum 419. fol. 466, Concilii

lii Africani Canonem exponens; quo Martyrum
passiones legi, eorum anniversariis diebus permit-
tuntur. Prolixiora acta Sanctorum Martyrum im-
peti Gellasii decreto, afferit Baronius: *Quorum vix*
pauca reperiri contingit suo pristino, quo sunt scripta
candore, atque simplicitate nitescere. Martyrum Acta,
quæ Notariorum curâ Romæ colligebantur, non
exiguâque diligentia custodiebantur, persecutionis
turbo sustulit. Vix pauca reperiri contingit, quæ
syncerorum Actorum Sanctorum Martyrum Ruith-
nartus edidit, quæque propriis diebus reperiuntur
in insigni opere Actorum de Sanctis. De Sanctorum
verò Confessorum vitis, qui primis floruere
sæculis, pauciora habemus: quorum etiam nomi-
na, ut plurimum obscura jacent, oblivione sepulta.

51. Apostolorum vitas synceras desidera-
mus. Neque nostri id sæculi peculiare malum est.
Perierant quarto sæculo: de quo maximè S. Chry-
stostomus, ab erudito Sousa relatus, queritur. Quas
nomine Apostolorum Sortium memorias eodem
legebantur, inter Apocrypha Gellasius refert. Quas
denique ultimis sæculis sub Abdiæ Babilonici
mine nebulo quidam effinxerat, Paulus IV dam-
navit. Quapropter cum in hujusmodi Historiis
oculum mentis infigere volumus, nullas ferè in-
dubias reperiemus; nisi eas, quas antiquorum Pa-
trum, aut Coævorum testimonia forte notatas re-
lique-

liquerunt. Quō fit, ut licet integras, & ordinatas
actiones non præbeant; jejunos tamen nos de qui-
busdam præclarissimis eorum factis non relinquant.
Atque ulterius convincunt Historias de Sanctis,
quæ in Breviario leguntur, definitionum Pontifi-
cum materiam esse non posse.

CAPUT SEXTUM.

ERUDITORUM LABORIBUS,
quibus Breviarii Lectiones de Sanctis
correctæ sunt, ad certitudinem his-
toricam, aut majorem proba-
bilitatem non sunt
redactæ.

52. **U**Num initio quæram; quo totius
capitis probatio concluditur. Ec-
quid correctorum laboribus, se-
quentium eruditorum investiga-
tioni finis est impositus? Nil prætereà his sæculis
inventum est, quo Sanctorum Acta ulterius dilu-
cidari possent? Nonnè monumentis inventis, aut
Doctorum laboribus antiquari potuerunt sententiæ,
quæ aliis temporibus indubia habebantur? Quis

ex iis affirmare quæstionibus audeat? Quis munire eas rationibus, & demonstrare aggrediatur? Sed apage ineptias, longè deliramenta amandentur! Nostri, & elapsi sæculi doctrinâ præstantes novimus viros, quos, si quantum ad eruditionem, antiquitatisque studium attinet, cum antiquis comparaveris, adolescentem cum juvene, aut viro exæquas. Sive itaque Breviarium Clementino-Urbanum consideres, sive correctores, qui eidem perficiendo incubuerunt, seu modum alpicias, quem in corrigendis tenuere Lectionibus, sive denique antiqua monumenta, aut authores, quos consuluerunt, intuearis, concludere necesse est, res has adhuc dilucidari posse. Quæ singula breviter expono.

53. Breviarium Clementino-Urbanum corrigi posse, demonstrant, 1, illud omnino suis non carere nævis, ut Benedictus XIII, superiori capite exposuit. 2, nullum Pontificum decretum extare, quod novam Breviarii correctionem faciendam prohibeat. Quod si tale esset decretum, temporum circunstantiæ Romanum Pontificem, illud revocare fortasse cogerent, & novam correctionem faciendam maturarent. 3, quod cum quæ ad Breviarium pertinet, cognitio, S. C. Rituum à Pontificibus sit commissa, evidenter ostenditur, rem hanc ex iis esse, quæ temporibus perficiuntur. 4, factam fuisse triplicem Breviarii correctionem, res adeò conspi-

Conspicuā est, ut idem fieri sequentibus temporibus, pro rerum opportunitate posse, convincat. Nulla enim difficultas, quæ pondus habeat, pro nō vā excogitari potest correctione, quæ victa non fuerit Urbanā, & omni ex parte soluta.

54. Enim verò si Pontificum autoritatem intuearis, & huic injuriosum affirmes, quæ probavisse dicis, iterum ad examen vocare; hoc, inquam, postquam S. Pius V. Breviarium probaverat, à Clemente VIII factum est: & utriusque labores suis Urbanus VIII perfecit. Quapropter cum derogatum nihil ab hoc præcedentibus Pontificibus fuerit, quantum ad autoritatem attinet, cur iisdem irrogari injuriam putas, si nova correctio ab alio Pontifice moliretur? Utroque par ratio existit: nec quidquam uni injuriosum esse potest, quod alteri applicatum, injuriā vacet.

55. Jam verò, si correctores ipsos aspicias, quorum industriā, ac laboribus eò deventum est, ut, cum Gavanto fatear, correctius Breviarium, Clementino-Urbano hactenus non extiterit; majori iuxtu evincitur, ulterius corrigi posse, neque ad certitudinem, aut probabilitatem maximam iis de- ventum esse. Quod ita ostendo. Quamvis, qui tempore S. Pii V adfuerunt, correctores summam in Breviario enucleando possuerint operam; nihilo tamen minus sequentes correctores Clementis VIII

tempore, quid in Breviario corrigerent, invenie-
runt. Et licet Eminentissimi Baronius, & Bellar-
minus Clementis VIII tempore, Lectiones de Sanc-
tis emendaverint, iterum ab Urbano VIII Brevia-
rium corrigi juvetur. Adventus verò D. Jacobi
in Clementinâ correctione ad minorem certitudi-
nem redactus, pristinæ veritati ab Urbano VIII
restituitur. Præsentationis Deiparæ festum ab Ec-
clesiæ fastis penè proscriptum, unius Francisci Tur-
riani operâ, & studio, loculentissimâque lucubra-
tione iterum Ecclesiæ fastis restitui, unde exulave-
rat, consequutum est. Quod Nicolaus Antonius
in Bibliotheca nova tom. I. fol. 371. verbo *Franci-
cus de Torres*, & *Imago primi sæculi Societatis* fol.
77. referunt. Quocirca, si unius erudit laboribus
correctorum victa est industria, cur id quam plu-
rimis pariter eruditissimis viris, & eidem negotio
solum intentis denegabimus?

56. Quantum in hoc genere debeatur Bol-
lando, Henschenio, Papebrochio, cæterisque præ-
clarissimi operis Continuatoribus, animadvertere
necessæ non est. Hi enim cœlum, & terram no-
biliori arte, Archimedi ignotâ, moverunt, ut Sancto-
rum vitas dilucidarent. Nihil ipsis in universis,
Hispania, Germania, Gallia, Anglia, Italia, nihil in
Oriente relictum est, quo non quæsita fuerint an-
tiqua monumenta, quibus clariori luce Sanctorum

Acta conspici possent. Studio verò sæculi integri eò deventum est, ut res, quæ obscurò loco latabant, suo. quæque colore apparuerint, eruditis conspicendiæ. Fateor quidem, labores hujusmodi ulteriùs in dies corrigi à doctissimis præclarissimi Operis Continuatoribus: immensæ enim (ut ita dicam) res sunt, quæ tractantur: neque unâ eas licet expedire manu. Sed si cum antiquis, & barbarorum sæculorum authoribus conferantur; quinimo, si cum correctione ipsâ Breviarii comparaveris, illico elicies, quantum his laboribus perfici illud possit. Quapropter nonnulli harum rerum peritissimi conjiciunt fore, ut postquam integrum de Sanctorum Actis opus perfectum prodierit, Romanum Breviarium, & Ecclesiastici, fasti ex illo corrigendi, quantum scilicet ad Historias attinet.

57. Modum, quem in correctione Lectiōnum tenuerunt eruditi Viri, ad hoc opus electi, Gavantus superiori loco retulit. Neque enim examinare omnia ad veritatis trutinam in animo haberunt, ne scilicet mutare etiam omnia uno ictu viderentur. Lectiones, quarum falsitas apertè illis constabat, rejectæ sunt: *Quæ vero controversa erant, alicujus tamen gravis authoris testimonio suffulta, aliqualem haberent probabilitatem, retenta sunt, eo modo quo erant; cùm falsitatis argui non possint, quamvis fortas;*

fortasse altera sententia sit à pluribus recepta. Quid Baronius ex correctoribus alter de his dixerit, num. 46. retuli. Quapropter probabiliora inter probabilia feligere in correctorum mentem non venit, aliqua dictorum probabilitate contenti. Ex tali itaque correctione quid infers? Probabilitatis accessisse aliquid relictis Lectionibus? At id correctores ipsi negant. Veritatem colligi ex eo, quod eas expungi non jusserint? At illi plura probabilia relinquunt consultò, non ignorantes ex adverso opposita probabiliora esse.

58. Monumenta itaque, & authores, quos Doctores consuluere, qui Breviarium correxere, si consideras, probatissima, aut probabilissima fuisse non constat; cum tantum afferat Urbanus VIII ex probatis, & priscis authoribus collectas fuisse Breviarii Lectiones. Quantum verò adjuventi doctissimorum hominum studio, atque industriâ, inventisque antiquitatis monumentis hisce rebus, lucis, & perfectionis accesserit, ignorat solus Uttopiæ incola. Ex veteribus numismatibus, inscriptionibus, abditisque manuscriptis de novo repertis omnes bonæ artes profecerunt. Quantum que Ecclesiastica Historia perfici possit nostro tempore præ Baronii sæculo, ostendit Pagius in critica Baroniana: in cuius operis præfatione colliguntur per summa capita ea, quibus perfici posse sunt

sunt Historiarum studia, & nostris temporibus instituantur. Itaque quocumque te vertas, concludere licet, eruditorum laboribus, quibus Breviarium correctum est, Historiarum certitudinem, majorem ve probabilitatem inductam non fuisse.

CAPUT SEPTIMUM.

IN QUIBUS POSSIT BREVIA- rium corrigi.

59.

Benedictus XIII, laudata superius dissertatione, Breviarium Clementino-Urbanum, quo utimur, nec suis omnino carere nævis, Historiarum exploratoribus judicari, afferuit. Cujusmodi sunt 1, Marcellini Pontificis cultus idolis exhibitus, ejusque pñitentia in Concilio Sinuesso::: 2, Lectiones non paucæ, ex iis Sanctorum Patrum libris petitæ, qui ex gravissimo Critorum judicio apocryphi reputantur. 3, Symbolum, Quicumque vult salvus esse, S. Athanasio in hodiernis Breviariis adscriptum, quod illius non esse eruditissimi plerique consentiunt, quamvis cuius determinatè sit authoris, non ita inter se congruant. 4, Canticum Te Deum laudamus, Sanctis Ambrofio, & Augustino adscriptum, eum Sisebuto Monacho ab eruditis vendice-

tur,

tur, ex veteri Casinensis cœnobii Breviario; & Codice Ms. Vaticanæ Bibliothecæ, à Cardinali Bona recensito. Et verò Cardinalem Baronium non absolutissimam in rebus Historicis fidem Romano Breviario tribuisse, certissimum est.

60. Hæc Benedictus. Ego verò, cùm caput hoc digerere parabam, in animo habui Breviarii Lectiones conferre cum genuinis eorumdem Sanctorum actis, cum adsunt. Cùm verò hæc deficiunt, comparare cum verisimilioribus; sed laborem inceptum tum librorum caritas, & monumentorum, tum denique quod necessarium id ad rem præsentem probandam non putabam, abrrumpit. Quapropter faciliori viâ idem probatum judicavi, si nonnulla exponam, in quibus maxime eruditorum sententiâ prædictæ Lectiones corrigi possunt. Corrigi, inquam, non temerario ausu à privatâ hominum potestate; sed ab eodem, à quo alia Breviaria correcta, ostendi.

61. Quædam in primis generalia sunt, in quibus corrigi potest. Eruditissimus Bartholomæus Gavantus citato superiùs loco modum ostendit, à correctoribus in Lectionibus approbandis servatum: hisque verbis effatur. In enumerandis Romanorum Pontificum annis à Cardinali Baronio non recesserunt, qui omnium exactissimus in hac re habetur. In ordinationibus Pontificum eorumdem, sequuti sunt librum

Ponti-

Pontificale inscriptum, quod nomine Damasi circumferatur. Cum aliunde nihil certi haberi queat. Textus item Sanctorum Patrum collati sunt proximè cum authorum libris, & manuscriptis, & melioris notæ impressis; ita ut in hoc genere emendatius nihil edi posse videatur. Quoad Chronologiam Pontificum, & ordinaciones, atque etiam quoad textus Patrum, Breviarium corrigi posse, ostendere incipio.

62. Baroniana Chronologia temporibus his antiquata est, vel certè aliis, quas habemus, inferior. Neque enim eruditus Sousa Baronii Chronologiam sequitur, quæ dispersionem Apostolorum, post mortem S. Jacobi factam statuit; sed tom. I. part. 2, sect. 1, assertione 10, num. 157, Christum ait, mortuum eo tempore, quo duo Gemini Consulatum habebant. Quantum verò perfici possit Baroniana Chronologia ex Pagii criticâ, quæ in hoc præcipuè versatur, evidenter ostenditur.

63. Ars Chronologica nostro, & elapso saeculo suam adquisivisse perfectionem, res est lipis, & tonsoribus nota. Quantum illa debeat Sealignero, Petavio, Userio, Richiolo, Bucherio, Papebrochio, Pagio, Henschenio, alijsque paris eruditionis viris, fatentur omnes, qui eamdem aspiciunt, novarum observationum adjumentis, periodi Græco-Romanæ inventione, Consulumque fas-
tis ex numismatibus correctis, locupletatam. Qua-

propter ; si eatenus correctores Baronianam sunt sequuti Chronologiam, quod eam exactissimam omnium putarent, pari ratione nostris esset asserendum temporibus, si nova correctio indiceretur, antiquam Chronologiam relinquendam.

64. In Ordinationibus Pontificum librum, Pontificale inscriptum, sunt sequuti , quod nomine Damasi circumfertur. Jam verò , Damasum Pontificem hujus libri authorem non esse, verosimilius est, quia Anasthasium Bibliothecarium agnoscit authorem. Ii verò, qui plurimum opus hoc faciunt, in pluribus interpolatum , & corruptum esse, patentur : quod Pagius etiam concedit ad annum Christi 67. num. 7. & 12. In iis etenim, quæ Anasthasium Bibliothecarium præcedunt, cùm dubiæ sit fidei, plurimi eruditi illum non amplectuntur. Licet verò eundem sequendum in Ordinationibus statueremus, purgandus esset eo meliori modo, quo posset, à notis nævis, & erratis: quod præstat eruditus Pagius, & qui post ipsum scripse- re, nonnulli. Jam verò Ordinationibus Pontificum sic correctis, dilucidari labor correctorum poterit, qui hisce præclarissimis caruit adjumentis.

65. Textus denique Patrum quàm plurimis inventis manuscriptis, antiquisque monumentis, quæ in archivis , & abditis bibliothecis latebant, & plurimum exemplarium collatione correcti sunt,

Tunt. Criticæ verò artis beneficio genuina opera Patrum ab apocryphis, aut dubiis ita distincta sunt, ut in hoc genere Breviarium corrigi posse, negare possit nemo.

66. Venio jam ad quædam singularia, quæ item possunt corrigi ex Lectionibus Breviarii. In die S. Joseph, & in festo Desponsationis ejusdem cum Beata Virgine, legitur Evangelium : *Cum es-
set desponsata, & expositio S. Hieronymi super
caput i. S. Matthæi, ubi legitur ad illa verba : In-
venta est in utero : Non ab alio inventa est, nisi à Jo-
seph, qui penè licentia maritali futuræ uxoris omnia no-
verat. Quam sententiam ita ex Chrysostomo Mal-
donatus accipit : Nisi me tantorum authorum reveren-
tia retineret, minus reverenter dictum dicerem : satis
habeo illis non assentiri. Nam vox Greca :: non significat
querendo, scrutandoque; sed potius non querendo, non
cogitando, præter opinionem, expectationemque aliquid
invenire, ut Chrysost. idoneus Græci sermonis testis ad-
notavit. Non ergo Joseph vestigando, sed non queren-
do; nec tactu, sed visu, eoque purissimo, minimèque cu-
~~so~~ Mariam prægnantem invenit. Nec significatur ab
eo potius, quam ab alio inventam fuisse : sed vis verbi
Græci est, eam subito, & inopinatò ita tumido appa-
ruisse utero, ut quivis, qui modo oculos adjiceret, vide-
re posset, eam fuisse gravidam. Quam expositionem
etiam sequitur Lamy in *Harmonia Evangeliorum lib.*
p. cap. 8. §. Ergo illa.*

67. In Lectionibus S. Damasi legitur, ipsum jussisse, ut Psalmi in Ecclesiis Doxologâ terminarentur: quod desumptum esse nemo dubitat ex Epistola S. Hieronymi ad Damasum. De qua ita statuit Cardinalis Bona de divina Psalmodiâ cap. 16. §. 6. *Decepti sunt isti ab epistola Hieronymi ad Damasum, quæ habetur primo tomo Conciliorum in rebus Damasi::: Decepti sunt, inquam, nam ut in calce prædictæ epistolæ in Conciliis Coloniæ editis, ex Baronio notatum est ab eruditis, Hieronymi res acutius expondentibus, ea tamquam adulterina, & planè commentitia exploditur. Imposturam detexit Joannes Cassianus lib. 2. de institutis Cœnobiorum cap. 8. Christianus Lupustom. 6. Conciliorum pag. 24.* hæc habet: *Proinde barbara, imperita, erronea, in Apostolicam Sedem injuriosa est ista Epistola, ideoque palam facta. Et Hieronymi ad ipsam Responsum est multò absurdius.*

68. In Lectionibus S. Fælicis de Valois legitur, ipsum ex Regia Valesiorum familiâ ortum duxisse, Sacerdotium verò alacriori suscepisse animo, ut spem Regni lege Salicâ à se removeret. Sed hoc hæc Sacerdotem à Regno non excludit; fœminas tantum, vi suâ, spe succedendi privat. Non fuisse autem S. Fælicem à Regia Familiâ, sed à loco, ubi natus est, dictum Valesium, Gallorum plurimi demonstrant. Morerius verò in Dictionario retulit verbo *S. Felix Valois.*

69. Sanctum Cletum ab Anacleto distinguit Romanum Breviarium : antiqui verò cumdem faciunt. Iræneus lib. 3. cap. 3, Eusebius lib. 5. cap. 28, S. Epiphanius, S. Hieronymus ; Litania vetus ordinis Romani , duo antiqui Romanorum Pontificum Cathalogi, quos Mabilio inseruit tomo 3 veterum Annalectorum. Ex recentioribus Vallesiis, Carolus à S. Paulo, Cotelerius, Natalis Alexander, & eruditorum ferè omnium Parisiis opinio asserit, ut refert Papebrochius artic. 18, Responsionis num. 20. In iisdem Lectionibus etiam tribuitur S. Cleto usus, quem in literis Apostolicis videmus , horum verborum : *Salutem , & Apostolicam benedictionem* : quem quidem eruditus à Martino Polono primò scriptum fuisse , convenient. Nullæ etenim habentur Cleti, sive Anacleti epistolæ, quæ hujus rei fidem faciant. Ante Joannem V, & Sergium I, quorum diplomata, formulam istam habentia , eruditus Dominus Mabilio libro *De re diplomatica* refert , Romanos Pontifices hanc. in litteris suis adhibuisse, non legimus. Ante Leonem IX, vel certè ante Gregorium VII stabili usu receptam non fuisse, Bollandi Continuatores censent in Propylæo ad Acta SS. Maii.

70. In S. Lini Lectione legitur : *Scripsit res gestas B. Petri, & ea maximè, quæ ab illo sunt acta contra Simonem Magum.* Librum hunc non alium esse

cogit

cogitari potest, & probari, ab illo, qui habetur tomo 8. Bibliothecæ Patrum Parisiensis, in qua hanc inuritur censura. *Historia passionis S. Petri*, & *historia passionis S. Pauli*, ambo sunt pseudoepigraphi; multos errores continent, nec ullius censentur authoratis, ut jam eruditorum consensu nimis exploratum habetur. Baronius ad annum 69. §. 6. & ad annum 80. §. 4. defendit, supposita, aut saltem corrupta esse prædicta Acta. Vossius de Historicis Græcis lib. 2. cap. 9. pag. 201 idem autumat. Tillemontius erroribus plena eadem acta, judicat part. I. tom. 2. in vita S. Clementis artic. 2.

71. S. Dionysium Areopagitam, & Parisiensem, eumdē esse, Breviarium, & Martyrologium Romanum asserunt: at id Innocentius III. in epistola ad Abbates, & Monachos S. Dionysii dubium esse, asseruit, nullique opinionum suis litteris præjudicium inferre velle, protestatur. Et verò tres Dionysios Episcopos primis sæculis floruisse, eruditæ agnoscunt, Areopagitam scilicet, Corinthium, Parisiensem. Distinctionem autem Pariensis ab Areopagitatâ probat Sirmundus in eruditissimo opere de duobus Dionysiis, Petavius, Tillemontius, & Adrianus Valesius in opere inscripto *Valesiana*: ex quo quæ ad rem nostram faciunt, descripta reperies in Responsione Patris Danielis Papebrochii ad art. II §. 4. num. 18. Res hæc eruditè tractata est

ab Excellentissimo D. Marchione de Mondexar differentiatione 2. cap. 5. Eruditorum Galliæ in hac re judicium probat Breviarium Parisiense, à Cardinali de Noalles anno 1700 correctum, in quo S. Dionysius Parisiensis ab Atheniensi distinguitur.

72. Appulsum S. Lazari, & Sanctarum Magdalenaæ, & Martæ Massiliam, nec non Episcopatum Massiliensem S. Lazaro applicitum, & Aquensem S. Maximino tributum, negant Launoyus, Tillemontius, Moreri, & Gallorum eruditissimi. Juxta quos correctum est in hoc Breviarium Parisiense à laudato Cardinali.

73. Lepram Constantini, ejusque Baptismum Romæ, negant Schelstrate in *Antiquitate illustrata* part. 2. dissertatione 3. cap. 6. num. 327, Eusebius in vitâ Constantini, Theodoreetus Cyrensis Episcopus lib. 1. historiæ, cap. 32, Sozomenus lib. 2. historiæ cap. 34, S. Hieronymus in Chronico, S. Ambrosius in Sermone de obitu Theodosii. Ex recentioribus innumeri eruditi. Quapropter Claudius Castellanus vir eruditissimus, ex Cardinalis Bonæ ore retulit, insuportabiles esse ipsi *Lectio-*
nones pro festo S. Sylvosti. Cumque reponerem, inquit, si Constantinus Romæ baptizatus non est; cur appellatur communiter baptisterium Constantini? Respondit: quia ipsum construi fecit. Quemadmodum ob eamdem causam Basilica Lateranensis Constantiniana dicitur.

Maxi-

Maximo ergo jure Gellasius Pontifex in cap. *Sancta Romana* de actis B. Sylvestri loquens, illud Apostoli usurpavit, *omnia probate, & quod bonum est, tenete*: ex iis enim Lectiones S. Sylvestri sunt erutæ.

74. Turificationem Marcellini non solum ignoravere antiqui, sed recentiores novum Donatistarum commentum impugnaverunt. Qua in re videndi sunt Papebrochius in *Propylæo Maii in vita hujus Pontificis*, Pagius ad annum 303 Christi, Cardinalis Rocaberti superiori laudatus loco: adeoque gravibus momentis res hæc ostenditur, ut Desirantius *thesibus Lovani habitis decima nona Augusti*, anno 1684, thesi 19 sic loquatur: *Orandus esset Pontifex Maximus, ut de lapsu pii Marcellini fabula expungeretur ex Breviario :: non est simile vero thurificasse virum idolis.* Innumera alia prætereo, quæ aferri possent. Hæc satis sunt, ut indè colligi possit, Breviarium quoad Historias ab omni errore immune non esse. Itaque, si, quæ in illo dubiæ existunt, Historiæ, ad veritatis rigorem examinarentur; vel omnino veritas detegeretur, vel major verisimilitudo, quæ alterutri ex partibus inest. Quod si prædictæ Historiæ veræ, aut verisimiliores infererentur in Breviario, perfectius illud nostro procul dubio existeret.

75. Caput hoc libet absolvere pulcherrimo Francisci Mariæ Florentinii loco, ad Romanum

Marty-

Martyrologium pertinente, qui extat undecimâ admonitione præviâ ad Lucenfe Martyrologiu[m] pag. 51. Notissimus, inquit, in Romano Martyrologio error fuit ad diem 24 Januarij, Antiochiae nova Martyr Xynorides, quæ tam in edito anno 1580, quam in primo etiam à Baronio emendato, ac notis illustrato irrepsit, & non nisi gravissimorum est virorum monitis expuncta, quod nimis supinè pro proprio Martyris nomine inductum appellativum fuerit. Dolent pariter aliqui inter Galliæ scriptores, quod ex dupli in antiquis Martyrologiis memoria Dionysii, nempe Parisini VII Idus Octobris, & Atheniensis V Nonas Octobris, Galesinus unum conflaverit, Parisinum simul, & Athenensem, minus sincera Hilduini Areopagitica secutus; & nuper Henricus Valesius, in dissertatione de Martyrologio Romano, animadvertisit, ad diem 2 Novembris Theodosium Laodiceum Episcopum memorari, qui post Nicænum Concilium Arianorum sectator, in Eustachium Catholicum Episcopum Antiochenum conspiraverit, ut testis est Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 14; quamvis id ex Usuardo, & Adone videatur desumptum. Nec Combefisius, in Notis ad Anonymum de Actis Nicæni Concilii, Baro[n]io acquiescit, quod ad diem 12 Septembris Paphnatum Ægyptium addiderit, Meletianum illum quidem non sfernendis rationibus astruens, cuius Epiphanius, & Athanasius meminerint.

76. Probarunt quidem Pontifices Sapientissimi

Romanum Martyrologium, & de eorum, qui emendatione
 ni praeerant, prudentia, & eruditione confisi, quam emen-
 datum prodire satagerunt; sed adhuc nævos aliquos ir-
 repisse, sunt qui conquerantur. Ferrarius ad calcem
 novæ Topographiae Romani Martyrologii aliqua emen-
 danda, in subjuncto indice proponit, præsertim quantum
 attinet ad Historiam. Quæ sanè (addit Saussayus in
 apparatus ad Gallicanum Martyrologium cap. 18)
 dignissima notatu sunt, & propera vindicatione. Novo-
 vetera quotidie ex Cimeliis proferuntur, quæ ante actis
 saeculis lucem non minimam afferre possint. Evidem si
 Baronius oculatissimus, Martyrologium Adoni præfixum,
 & à se toties expetitum vidisset, ditasset utique Ro-
 manas tabulas Martyribus plurimis, & obscuris adhuc,
 ac incertis lucem doctissimus intulisset. Sed dies erit,
 cum in lucem prolatis, quæ de Martyrologiis Bollandus,
 ejusque socii meditantur, sapientissimus alius Pontifex
 iterum Romanum Martyrologium emendari, & locuple-
 tari mandabit; cui si aliquid conferre Martyrologium
 nostrum contingerit, de maximo in me Dei beneficio, in
 id ipsum me lætaturum confido. Non equidem Grego-
 rius XIII multa laude alioquin dignus, postremam ec-
 clesiasticis tabulis emendationem decrevit: sed quantum
 potuit emendatas prodire curavit; nec omnem exhaustire
 potuit, quam habet Romana Sedes examinandis
 Ecclesiasticis libris autoritatem.

CAPUT OCTAVUM.

*EXPOSITA A ME OPINIO
nulla Theologica censura nota-
ri potest.*

77.

HActenus veræ sententiæ fundamen-
ta collegi : jam quanti facienda
sit, exponere aggredior. Sed antè
removere ab illa notas , quibus à
quibusdam contemnitur, in animo est. Missas fa-
cio qualificationes Papebrochio objectas ex Car-
dinali de Lugo, Quintanadueñas , & aliis paucis
Theologis, quibus abundè satisfacit tertio tomô
Responsionis *præambulo* 2. num. 15. Eas solùm
examini subjiciam, quæ à Soufa colliguntur. Vel-
lim tamen in his rebus præ oculis haberi auream
clarissimi Theologi Melchioris Cani sententiam
lib. 8. de locis Theologicis cap. 4. ubi ait: *Theo-
logorum Scholasticorum etiam multorum testimonia , si
alii contra pugnant viri docti, non plus valent ad facien-
dam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam
authoritas eomprobarit : atque etiam eruditum Sou-
sam licet Bordonum, Sausay , & Saguentium no-
bis opponat, eorumque qualificationes exponat;*

judicium tamen de his, ad quos pertinet; integrum, & intactum relinqu, velle.

78. Bordonum assert tom. I. cap. 41. num. 38, dicentem: Propositiones, quæ in Breviario sunt, catholicas esse, sapere fidem; eo quod receptæ sint communiter ab Ecclesia, utpotè: *Maria Virgo assumpta est in Cœlum: Est immunis à peccato originali: abstinentia est ab esu carnium, & lacticiniorum in Quadragesima.* Hæ, & similes non sunt revelatæ, non sunt deductæ, sed Ecclesia eas amplectitur uti catholicas: quarum negativæ sapiunt hæresim: hujus generis sunt omnes, quæ in Missali, & Breviario exprimuntur, atque in Conciliis, extra materiam fidei, & Sacrae Scripturæ.

79. Sed hæc particularis Theologi opinio ex prædictâ Cani sententia exploditur. Communis enim Theologorum sententia docet, nullam propositionem sapere fidem, quæ cum revelatione divinâ aliquam pariter non habeat connexionem. Sicut nulla propositio est fidei, nisi sit explicitè, vel saltem implicitè revelata formaliter. Adeò ut virtualis revelatio non sufficiat, quæ solum assensum theologicum fundat. Cùm autem facta historica Lectionum Breviarii nullam cum divinâ revelatione habeant connexionem, ut controversiæ nostræ supponimus; manifestum est, Bordonum in qualificatione excessisse.

80. Propositio sapiens hæresim ab Eximio, Lorca, & Castro Palao sic describitur : quæ non per evidenter consequentiam , sed per probabilissimas consecutiones moraliter, certas objecto fidei contradicit. Jam verò querere licet, quænam sint probabilissimæ, & certæ consequentiæ , quibus objecto fidei refragantur negantes Historias Breviarii? Rursus fieri non potest, ut id in nostra quæstione eruditus Sousa ostendat : cum de his agere statuerimus, quæ nullam cum rebus fidei habeant connexionem.

81. Eandem propositionem sapientem hæresim aliter descriptis Petrus Annatus Congregationis Doctrinæ Christianæ Generalis Præpositus in *Apparatu ad Theologiam positivam Venetiis edito anno 1725.* Sapiens hæresim , seu suspecta hæresos, est ea, quæ licet aliquo sensu tolerari possit , tamen ex circumstantia personæ, loci, vel temporis adjunctam habet gravem aliquam suspicionem , apparentiam, vel saporem hæresos, qualis est ista ab Ariano prolatæ Christus est creatura. Hæc enim licet prolata à Catholico, catholica sit ; à Viro tamen Ariano prolata Arianam sapit hæresim ; prolata à Catholico catholica est, quia intellecta de humana Christi natura; prolata ab Ariano, Arianam sapit hæresim; quia gravis est suspicio, ne intelligatur de Christi supposito. Sic ista : Fides justificat: in ore Pauli catholica : in ore Lutheri tenantis,

nentis, fidem sine charitate, justificare, est sapiens bæresim. Ex qua doctrina facile colligitur, expositam tot Catholicorum sententiam nullò modō suspicionem Hærefoes habere posse; qui maximè venerantur Breviarium ipsum, & Romanorum Pontificum authoritatem: esto negatio Historiarum Breviarii in ore Acatholicorum suspicionem hærefoes non effugeret; eò quod sciamus, malè de Pontificiâ authoritate sentire. Sed quis sibi in annum inducat, Benedictum XIII, Cardinales, Turcremata, Baronium, Bonam, Rocaberti sententias tenuisse hæresis suspicioni obnoxias? Cave ne dixeris, ne temeritatis vitium incurras.

82. Illud verò, quo evidenter patet Bordonum in laudata qualificatione excessisse, illud est, prædictam qualificationem, quatenus Conceptionem Deiparæ respicit, opponi decretis Sixti IV, & Alexandri VII, quæ licet maximè piæ de Conceptione sententiæ, & veræ, faveant; vetant tamen oppositam hærefoes, aut suspicionis de hæresi notare. Quapropter cum plurimis præstantissimis Theologis relinquere possumus Bordonum, neque ejus in hac re curare judicium.

83. Secundo loco examinandum suscipio ill. Domini de Sausay Episcopi Tullensis textum à Soufa objectum num. 2691, ubi sic ait. Prima regula hæc sit, quam Gelasius Pontifex citato Canone

Sancta Romana Ecclesia non obscurè insinuat; ut quid
 quid Sancta ipsa Romana Ecclesia legit, vel legendum
 proponit, authenticum habeatur, nec cuilibet liceat id in du-
 bium revocare, vel impugnare. Quæ enim ea Ecclesiæ,
 quæ omnium Mater est, & Magistra suscipit, recepta
 ab Ecclesia Catholica, toto isto Canone innuit, & afferit
 cum assidente sibi Synodo prænominatus Pontifex. Quo
 ex theoremate manifestè elicitur, gesta Sanctorum, quæ
 legenda inserta sunt Sacris Ecclesiæ ipsius Romanae Of-
 ficiis, diptichis, Martyrologio, Breviario, Missali, pa-
 tissimo decreto œcumenici Concilii recognitis, & Ponti-
 ficia authoritate ob-signatis extra aleam esse disputatio-
 nis; nec jam aditum ius patere, qui incertæ ea esse fi-
 dei, aut etiam falsum ius inesse contendere volent. Nec
 enim est, quod objiciant, hoc ipso, quod Tridentinum
 Concilium statuit, Breviaria, aliaque Sacra Officia re-
 purganda esse (Sess. 25.) facile intelligi errores in eorum
 irrepsisse seriem, nec enim correctione opus esset, ubi
 nihil mendosum posset reperiri. Etenim non abnuimus
 in rituales libros, officiaque Ecclesiastica, illapsas ali-
 quot labes amanuensium vitio, Typographorum oscitan-
 ia, privatorum quorundam audacia, & temeritate,
 qui nativam eorum seriem suis additamentis, vel detrac-
 tionibus, ac depravationibus etiam sub specie pietatis al-
 terare præsumperunt, quas Ecclesia Romana corruptel-
 las probarit nunquam, & ideo suis è libris ejusmodi
 sacris errasit mox, ac deprehendit. Non tamen tanta
 fuit

fuit unquam depravatio, ut fuerit universalis, vel diu-
turna, aut etiam, quæ substantiam rerum, & veritatis
Catholice integritatem laderet. Sed vero dato etiam,
quod menda adeo gravia aliquando irrepsissent, notandi
ea profecto, & arguendi ante recognitionem locus fuit.
At postquam ex Concilii decreto publico Ecclesiæ nomi-
ne à delectis Patribus libri ipsi Ecclesiastici recogniti,
expurgati, atque pristino nitorि restituti sunt, Sedisque
Apostolicæ iudicio approbati, quod exordio Missalis,
Breviarii, Martyrologii, &c. constat ex adscripto di-
plomate Pontificio Certum esse, & peremptorium. Jam
nemini Catholicoium fas est sibi autoritatem impug-
nandi librorum ejusmodi tenorem arrogare, & arguere
falsi, quod Sedis Apostolicæ decreto declaratum esse li-
quet, post initum mandato Generaliis Concilii examen
serium, ac accuratum sanum, atque authenticum.

84. Illustrissimi Soufay locum integrum
exscribere volui, ut quantum à veritate ejus de-
flectat opinio, clarius constet. Sed primò ex ipsis
Gallis discere convenit, quanti in Historia haben-
dum sit eruditī authoris testimonium. Cum nos-
tro Tamayo de Salazar Martyrologii Hispani au-
thore, comparant Saufayum. Clarissimus Vir Clau-
dius Castellanus in litteris ad Papebrochium datis,
quorum non nulla extant in responsione ad artic.
18. num. 16. de Martyrologio Gallicano à Soufay
edito loquens, asserit, Parisiis passim contemni, &

inter

inter eruditos mendaciorum plaustrum appellari. In prioribus Dictionarii, à Morerio incepti, editionibus Saufay nomen ignorabatur, cùm neminem alicujus nominis Gallum præterirent. In editione verò anni 1725, quâ utor, tom. 6, pag. 371. Andreæ de Saufay elogium inseritur. Sed hac opportunâ animadversione: *Pater Papebrochius non admodum dignè de hoc opere sentit, & D. Baillet plurimamala de opere ipso loquitur: verum tamen est, magno numero errores habere, stylumque Ecclesiastico Scriptori haud quaquam convenire.* Ab authore itaque nullius in rebus criticis judicii malè agimus.

85. Jam verò quot erroribus exposita ejus verba pateant, ostendo. 1, Falsum est, Pontificem Gellasium in cap. *Sancta Romana Breviarii Lectiones*, de quibus differimus, probavisse. 2, Falsum est, Ecclesiam Romanam tunc legere Historias Martyrum, cùm Gellasius asserat, singulari cautelâ ejus tempore in Romanâ Ecclesiâ non legi. 3, Falsum est, Concilium Romanum, in quo Gellasius caput *Sancta Romana* edidit, Generale, & oecumenicum fuisse. 4, Falsum est, Breviarium, aliquod ante tempora Sancti Pii extitisse pro totâ Ecclesia commune. 5 denique, Falsum est, à Sedis Apostolicâ judicio approbari veritatem Lectionum, & quod magis falsum est, id ex adscriptis diplomatis Breviariis, & Martyrologiis constare, examen-

que initum Historiarum Concilii Generalis Tridentini decreto; cùm tamen Concilium Tridentinum Sess. 25 integrum correctionem Breviarii relinquat Romanis Pontificibus, à quibus per designatos à se correctores peractæ sunt.

86. Sed tamen, licet quæ innuimus falsa non essent, Saufay locus nihil, quia multum, concluderet. Si enim Ecclesiæ Universalis decreto Historiarum Breviarii veritas stabiliretur, nulli in Breviariis errores temporum vicissitudine irrepere potuissent; sed, quemadmodum Scripturæ sacræ, divinâ providentiâ ab erroribus fuissent servata. Irrepsisse verò in Breviariis menda, quæ corrigi possent, Saufay fatetur. Et quod mirere magis, non ad normam Gellasianni decreti correcta Breviaria, sed ad authorum, aut veterum monumentorum fidem, diplomata Breviariis inserta convincunt. Quantum verò in qualificatione excedat, quâ locum concludit, manifestè colligitur, tum ex dictis Melchioris Cani verbis, tum ex proximè dicendis, quibus expositam à me opinionem à temeritatis vitio vindicabo. Noto tamen ad alia properans, nunquam à me, vel à quoquam ex laudatis pro meâ opinione authoribus, Breviarium ipsum, impugnari. Quinimo profitemur, maximâ illud reverentiâ, & veneratione prosequi. Lectionum Historiarum veritatem, aut falsitatem examinamus;

quoniam has sub ratione tantum probabilium,
& piorum opinamentorum ab Ecclesiâ proponi
scimus.

87. Nostram de temeritate sententiam accusant P. Augustinus de Herrera in opere Hispanico, cui titulus *Origen, y progreso del Divino Oficio*, lib. I. cap. 26. num. 4, Franciscus Padilla tom. I Historiæ Ecclesiasticæ Hispaniæ, *Centuria I*, cap. 111 & alii: productis etiam nonnullis rationibus, quas singulas dissolvam posteà, probare efformatum iudicium pergunt. Objectam notam priùs non modò amovere conabor, sed quam longè ab eadem sententia semper fuerit, dilucidè ostendere.

88. Temeraria propositio ex Petro Annato lib. I. Apparatus ad Positivam Theologiam, artic. 54 in conclusione, sic accipitur: *Temeraria dicitur illa, quæ sine gravi fundamento impugnat in re gravi communem Theologorum sententiam; seu, ut explicant alii: quæ nullo authore fidedigno, nulla probabili nixa ratione, extra communem Theologorum sensum vagatur: ut si quis assereret: finale mundi iudicium post centum, vel ducentos annos immediatè futurum; vel si quis, Beatam Virginem in Cælum, etiam quoad corpus assumptam, negaret.* Prædictâ temerariæ propositionis præhabitâ cognitione liquidò fluit, quantum à temeritate, quæ hactenus exposui, distent. Gravia sunt in antecedentibus capitibus fundamenta proposita. Plus-

quam triginta authores mecum sentientes, magni non solum apud eruditos nominis, sed etiam apud Theologos, & Canonistas, protuli; quorum luculentissima testimonia, solidæque rationes, non modò eruditii Socratæ fundamentis planè æquantur; sed eminere plurimum, & excedere, lippis etiam videntur. Eliduntur etiam quotquot hactenus sententiæ nostræ opposita sunt argumenta, & planè (ni fallor) disrumpuntur. Quocirca temeritatis notam, vel hinc sententia nostra evadit.

89. Communem Theologorum sensum pro neutrâ opinione stare, animadvertisse jam puto eruditum lectorem. Quinimo rem, de quâ agimus, eam gravitatem non habere, ut materia apta esse posset, ad qualificationem temeritatis objec-tam; cùm à Gellasii tempore fides Historiarum de Sanctis humanæ prudentiæ relicta intelligatur, juxta dictum Pauli: *Omnia probate, & quod bonum est tenete.* Cùm verò de veritate Breviarii Lectiōnum differimus, animadvertere opus est, proferri priùs à nobis testimonia, aut rationes, quibus eas dubias, aut minùs probabiles, aut denique falsas judicamus: sine his momentis quaslibet de rebus antiquis cogitationes contemnendas putamus, edicti profectò ab Annalium Parente, instar regulæ adhibente hanc propositionem. *Quod à recentiori authore de rebus antiquis sine alicuius vetustioris au-*

thoritate profertur, contemnitur. Si itaque nullum contra Historias in Breviariis relatas historicum fundamentum, si nullum, qui negaret, authorem produxissemus, temeritatis Theologicæ, vel saltem rationalis notam non effugeremus; at contrà factum est: nullamque fidem, præter quam exposita à nobis fundamenta poscunt, exquirimus, temeritatis vitium vitare cupientes.

90. In his, & similibus ita discurrere, à te, erudite vir, discere potui, qui tomò i. expeditio-
nis Hispanicæ Sancti Jacobi ad num. 1397, nul-
lum in S. Isidori textu de vitâ, & obitu Patrum errorem esse existimas, ubi ait, Divum Jacobum in Marmaricâ sepultum fuisse. Ut autem id ab errore immune statuas, addis in Marmaricâ mar-
tyrio S. Jacobum fuisse coronatum. Cùm verò hæc creditu difficultia futura esse videres, hac ratio-
cinatione credibilia esse ostendis. Non est de fide,
S. Jacobum occisum fuisse Hierosolymis, ut Sal-
meron tractat. 8. in Acta Apostolorum innuit.
Idem asserit S. Hyppolitus Martyr in opere, quod extat ante commentaria Oecumenii in Acta Apo-
stolorum. Quibus ita statutis, infers, jussu Herodis imperfectum fuisse S. Jacobum in Marmaricâ urbe Principe regionis Comagenæ, ad provinciam Siriæ pertinente.

91. Ita sanè existimas: sed quām leviter!
quām

quam contrâ datam fidem ! Martyrologium im-
primis Romanum, & Breviarii Lectiones , quibus
Hispani utimur in festo S. Jacobi , Hierosolymis
obiisse S. Apostolum, perhibent. Unum Salmero-
nem pro te citas, quia Hyppoliti textus à te lau-
datus nimiùm dubius apud eruditos habetur. Ego
verò pro stabilitâ sententiâ plusquam triginta pri-
mæ notæ authores exposui. Liber Isidori de vitâ,
& obitu Patrum, quem habemus, num integer, &
ab interpolatione immunis sit, ambigitur ? In tex-
tu verò, de quo loquimur, irrepsisse errorem eru-
ditissimi Hispanorum non diffitentur. *Marmorea*
restituendum esse pro Marmaricâ , Mariana, & plu-
rimi alii volunt. *Tamarica* legendum existimat
Petrus Carpetanus in animadversionibus ad opus
Marianæ. Exteri verò rejiciunt, ut plurimùm , Isi-
dori præfatum opus, indignum judicantes tale opus
doctissimo Isidoro Hispalensi. Agnoscent à SS.
Braulione, & Ildephonsô opus de vitâ, & obitu Pa-
trum Isidoro tributum; sed quod nunc habemus,
idem non esse, sed eodem nomine compactum,
non spernendis argumentis contendunt. Ast his
des non sit; crede tamen Hispanis superiùs relatis,
à quibus falsitatis arguèris.

92. Marmericam , seu Damaricam Libiæ
regionem, ex Strabone, Solino, & Plinio non ig-
noro; sed tu, erudite vir, cum Blasio Terzi Siriæ
urbem

urbem facis; nullus antiquo producere teste. At enim verò neutra Marmaricæ notio ad rem nostram est, si veritatem absque præjudiciis sequi velimus. Nam, cùm neque Siria, nec Libia Provinciæ fuerint, quibus Herodes dominaretur, qui fieri potuit, ut ejus capitales sententiæ ibidem fuerint executioni mandatae? Credibile nè est, Herodem Judæis assentandi causâ capitatis damnasse Jacobum, utque iisdem obsequeretur, extra Judæam missum, & ibidem capite minutum? An potuit alibi Jacobus occidi, alibi Petrus in carcerem mitti, salvâ Historiæ serie, à S. Lucâ narrata? quod si id afferi non potest, Petrumque Hierosolymis in carcerem missum constat; ibidem pariter Jacobum occisum fuisse dicendum est.

93. Ad priora respondet, Herodem in Marmaricâ Siriæ ab ejusdem regionis Rege amicitia receptum, aut hospitii communis jure: atque etiam constare ex Actorum capite 12 juxta Salmeronis expositionem, Herodem suos misisse milites, ut quosdam de Ecclesiâ affligeret, à quibus Jacobus occisus dici potest. Sed esto quæ respondes, ita se haberent; difficultas tamen integra relinquitur, & intacta prorsus manet: nam licet Herodes milites suos ad affligendam Ecclesiam misserit, ii vagari solum, & exequi Herodis jussa per regiones illi subjectas potuerunt. Quo in loco dis-

simu-

simulare juvat, juxta seriem à S. Lucâ descriptam hujus Ecclesiæ persecutionis, primò Jacobum occisum esse ab Herode; deinde commotam esse persecutionem Ecclesiæ, quam per suos milites infectatus est. Stantibus etiam ejusdem Historiæ sacræ monumentis Hierosolymis tantùm eadem grassata est persecutio, & in ditione Hærodis, cum liberi ab illâ manserint, quotquot alias regiones prædicandi Evangelii causâ peragrarunt. Herodem receptum à Rege Marmaricæ non dispuo; at diversa longè sunt jura amicitiæ, & hospitii, à jurisdictionis exercitio. Recipiuntur, & amicitiæ fœdere copulantur pluri-mi Europæ Reges; qui tamen non permetterent, sententias capitales ab aliis latas, eâdem jurisdictione in propriis regnis compleri.

94. Non me latet inter alios dicendi modos, quibus difficilem S. Isidori locum enodare cupis, & hunc à te exponi, quem magis probare videris. Et certè temerarium discurrendi modum non existimas: à me verò adductus est, ut hinc evidenter colligam, quæ hactenus dicta sunt, à temeritatis notâ remotiora esse, & ex gravioribus fundamentis fuisse collecta. Quapropter loca jam ipsa Patris Augustini de Herrera, & Francisci Padilla discutienda aggredior: quorum qualificationes suis temporibus, quibus res hæ dilucidatæ non erant, tolerari possent; nostris verò à vero aberrare judicarentur.

95. En locum Patris Herrera , quem His-
panicis verbis exponere libet : *Libro Origen, y pro-*
gresso del Divino Oficio lib. 1, cap. 26. num. 4. De
aqui se sigue, que constando ser un *Breviario de las ca-*
lidades, que requiere Clemente VIII en la Bulla, que
comienza : Divinam Psalmodiam, expedida el año
1631, à 25 de Enero. Conviene à saber, impresso por
Original autentico Romano , y que en la impression no
se les ha añadido, ni quitado cosa alguna , deben ser te-
nidas las Historias de los Santos en èl referidas , por
ciertas, y verdaderas, y ser temeridad culpable, afirmar
lo contrario. Porque , y note se esta principal razon,
atentas las circunspecciones, y cautelas tales , y tantas,
que hemos dicho, aver puesto la Iglesia Romana en su
averiguacion, y disposicion, ha procedido mui probablemen-
te, y con toda la certeza , que puede causarle la pru-
dencia, y juicio humano, y assi està en possession, de que
se le dè entero credito à sus Propositiones en qualquier
materia , y por lo menos en esta tiene ab extrinseco,
como dice el Theologo, toda, y la mayor authoridad, que
no sea de la derivada de la Divina immediatamente , se
le puede dàr à este Breviario, que hic, & nunc està
reformado, y autorizado de la Sede Apostolica.

96. Vix prædicta legeram, cùm plura sup-
poni falsa intellexi. Deinde plusquam ipse Herre-
ra volet probari. Supponit etenim Romanam Ec-
clesiam circa Historiarum Breviarii veritatem, suam

spondere auctoritate in, aut eadem asserti. At utrumque negant laudati superius Pontifices Gelasius I, & Adrianus I, qui Lectiones de Sanctis ab Orthodoxis non modo titulatas recipi, sed etiam legi, docuere. Supponit etiam, cautelis omnibus, & circumspectionibus fuisse usos correctores Breviarii, in veritate indagandâ Historiarum, quas in ipsis inferendas, aut relinquendas judicaverunt. Contrà verò Baronius, & Gavantus correctores ipsi censuerunt, & quorum testimonia suprà sunt relata.

97. Ex suppositis inferebat P. Herrera, Ecclesiam probabilissimè in hujusmodi Lectionibus proponendis processisse: quibus addo, & prudentissimè; cautelâ scilicet à Gelasio præmissâ: omnia probate, quod bonum est, tenete. Quare hinc non sequitur, omni certitudine rem fuisse conclusam. Nam si hoc daretur, concedendum pariter esset, Breviarium ulterius Pontificiâ auctoritate corrigi non posse, atque in his rebus indagationem ultiorem, & conatum frustrà collocari.

98. Asserebat præterea, Ecclesiam Romanam in eâ esse possessione, ut in omni materia integra illi fides tribuatur, & ab extrinseco omnem, & majorem auctoritatem post divinam habere. Quæ omnia libenter fateor: verùm addo ipsam Romanam Ecclesiam quomodo, & quando illi præstanda sit fides, filios docere suos: quos etiam

etiam monet qualem fidem cuilibet ex assertis ab ipsâ tribui vellit. Cùm pura facta afferit, docet factorum niti relatione, nec illa testari, sed attestationi attendere, à qua eorum veritas pendet. Communes in litterarum Apostolicarum expeditione clausulæ, seu formulæ sunt: *si vera sunt, quæ affirmantur: si* preces veritate nituntur. Atque in re, de qua agimus, Romana Ecclesia à Gellasii tempore docuit, eamdem adhibuisse cautelam, ut probatum manet.

99. Duo, antequām ad alia pergam, dissimulare non fert animus. Primum, probationem ex cautelis, & præviis diligentias petitam præsumptione fundari: quæ veritate patente, omnino cessat. En igitur nostris temporibus Breviarium quoad Lectiones corrigi in pluribus posse, integro ostendi capite, nullius ergo ponderis allata probatio, nullius roboris existit. Alterum, opportunè notandum, illud est, quod, si authoritate Ecclesiæ Breviarii Lectio-nes affererentur, humanâ sapientiâ certiores forent, altiorisque ordinis, nempe fidei. Quæ enim Ecclesia propriâ authoritate fulsit, non humanis rationibus; sed divinâ revelatione affirmantur. Cùm autem ad fidem prædicta pertinere, nemo jure afferat, planum est, earum veritatem ab Ecclesiâ non afferi. Jam verò cum exposita à P. Herrera funda-menta rem non convincant; timenda non est qua-

lificatio, quam addit, temeritatis sententiæ nostræ, eruditissimis Baronio, Bonæ, Rocaberti, cæterisque nostræ sententiæ propugnatoribus jure non infligenda.

100. Ad Padillam jam venio, qui tom. I. Historiæ Ecclesiasticæ *Centuria* I adventum in Hispanias D. Jacobi ex Breviario asserit, addens temeritatis reum effici, qui in Breviario inserta negaret. Addit rationibus alias consideratis, ipsum Romæ fuisse, cum Breviarium Pianum fuit editum, atque illi apprimè constare, nihil in eodem insertum fuisse, quod verissimum, certumque non judicaretur. Cui reponere possum, adventum D. Jacobi non ideo certum, & indubium haberi, quod in Breviario insertum reperiatur; sed contrà eidem restitutum, quia certâ authorum, & monumentorum fide constabat. Id verò, quod addit, nihil falsum in Breviario Piano, aut minus probabile fuisse insertum, à veritate longè est: correctionesque Clementina, & Urbana ejus dicti falsitatem ostendunt. De ipsis porrò correctis à Clemente VIII, & Urbano VIII Breviariis ajebat Gavantus superius expositus, plurima minus probabilia continere: ac denique Breviarium Clementino-Urbanum suis non carere nævis, Benedictus XIII. asseruit.

101. Clarissimi viri Joannis Saguens auctoritatem pro Historiis Breviarii maximè elevandis affert

affert eruditus Sousa, ex Systemate Eucharistico Maignani vindicato part. 2, Dialogo 4, num. 18, depromptam. Quam quidem, si bonâ fide legeris, statim ad eruditissimi Theologi qualificationem, & judicium exhorresces. Ita enim ex Sousa legitur: *Profiteor, revereri me omnino Breviarii Romani autoritatem, de qua nec dubito, quin proxime accedat ad illam, quae est Sacrae Scripturæ::: Profiteor insuper, nihil in Breviario recitandum proponi, quod non sit eximiè verum, & indubitatum.*

102. Ego verò nunquam in animum inducere potui, etiam cum primò aspexi testimoniū, ab erudito Sousa objectum, Sanguensii mentem cum illo posse convenire; cum materia, pro qua clarissimus Minimus certabat, Breviarii autoritate maximè ab Aristotelicis impugnetur. Sed postquam dialogos à Sanguensio editos, iterum legi, de textu malâ fide exposito amplius dubitare non potui. Quapropter de erudito Sousa queror, quod Sanguensium nostræ sententiæ adnumerandum, prof se truncatum citaverit.

103. Id ostendere multis juvat, ut tandem pateat, quām plurimos ex authoribus ab erudito Sousâ allegatis, nostram tenere sententiam. Johannes Sanguens contra Magistrum Genarum Ordinis Prædicatorum dialogos scripsit, quibus Systema Eucharisticum à clarissimo viro, & de Theologicis

logicis, & Philosophicis optimè merito Emmanuel Maignano inventum, ab impugnationibus ejusdem Genari vindicavit. In eo opusculo dialogo 4 hoc sibi argumentum solvendum proponit: *An argumenta Genari ducta ex Breviario Romano, aut ex catechismo Concilii Tridentini aliquid convincant adversum Systema Maignani Eucaristicum.* Toto dialogo evincere satagit, nihil Breviarii authoritate infirmari Maignani opinionem. Argumentum autem Genari sumptum est ex verbis D. Thomæ: *Accidentia sine subjecto in eodem Sacramento subsistunt, ut fides locum habeat, dum invisibile visibiliter sumitur aliena specie occultatum, & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis.* Quæ verba leguntur in officio Corporis Christi, non solum à S. Pio V, & Clemente VIII, & Urbano VIII cum Breviario probato; sed cùm primùm compositum, ab Urbano II approbationem habuit.

104. Antequam solutiones exponā, quas huic argumento exhibit Saguenius, nostram sententiam maximè vindicantes, animadvertere convenit, extra rem nostram Saguenii disputationem existere; ac propterea verba ex eodem allegata, contra nos citari non posse. Nam aliud est, an opiniones Theologicæ, vel Philosophicæ ad doctrinam fidei explicandam in Breviario adhibitæ, ab Ecclesiâ probentur; aliud longè diversum est, an Historiæ,

quæ

quæ ibidem leguntur, quantum ad Historicas factorum circunstantias pertinet, ab Ecclesiâ etiam afferantur. Hoc secundum semper disputari posset, etiam si negaretur primum, aut extra dubium esset. Nam, cum facta hujusmodi nullam cum rebus fidei habere connexionem, supponamus; Theologicæ verò sententiæ aliquam hujusmodi connexionem habere debeant; Philosophicæ possint: hinc fit, ut etiam si doctrina Soubzæ admitteretur in rebus Philosophicis, aut Theologicis, quæ in Breviario tanguntur, negari deberet, in rebus Historicis eandem doctrinam procedere, utpote quæ nullam cum prædictis habent connexionem.

105. Redeo jam ad Saguenii locum expendum. Reponit primò arguento Magistri Genari, opinionem de accidentibus Peripateticis probatam esse in Breviariis: sed intra limites opinionis. Idem ego reponere possum: Historias Breviarii intra limites opinionis, probabiles tantummodo probatas esse. Reponit 2, duplicem esse sensum authoritatis expositæ D. Thomæ: alterum generale, & dogmaticum, quo nimirum accidentia post confecrationem manere afferuntur: alterum speciale, an scilicet, hæc accidentia sint Aristotelica, vel Platonica? Primum sensum Ecclesiam proponere recitandum, & admittendum; secundum non item: & hoc sive recitare, sive admittere nulla est, quæ

nos com pellat authoritas. Idem omnino accom-
modare possumus Lectionibus Historicis Breviarii:
in eis considerari potest sensus. quidam generalis,
quo de sanctitate, virtutibus , & prætiosâ morte
cujuscumque Sancti, ab Ecclesiâ culti , instruimur.
Est etiam quidam particularis sensus pertinens ad
peculiaria facta, & eorundem singulares circuns-
tantias, & hunc admittere, nullo Ecclesiæ decretô
cogimur; immo eadem docet, ab Ecclesiasticis au-
thoribus mutuari, quæ de quibusque Sanctis legen-
da proponit.

106. Reponit 3 Saguensius, privatos ho-
minum Philosophicos sensus, ut varios , & fallibi-
les Ecclesiam nec respicere, nec in illis confidere:
immo illos negligere, & ab ipsis præscindere; dum-
modo verba , quæ innumeris sunt cogitationibus,
& subintellectionibus humanis obnoxia , nihil,
quod veram pietatem , cæterasque virtutes ad fi-
dem , & pietatem spectantes , offendere possit,
habeant. Hinc distinguit dupllicem alium sensum
in iis, quæ Ecclesia legenda proponit in Brevia-
rio : alterum expressum ad dogma fidei , aut pie-
tatem attinentem : alterum latentem , & secunda-
rium, quo dogma ipsum explicatur. Primum ref-
picit Ecclesia in harum Lectionum approbatione:
à secundario præscindit, & illud nostris relinquit
disputationibus. Utrumque probat re, & exemplo.

Primum,

Primum, quia sive in Breviario, sive extra multa Sanctorum Patrum dicta Ecclesia probat, quorum sensus Philosophicos diversos esse planè novit. Secundum: nam in Octava Corporis Christi Ecclesia legit ex Sanctis Augustino, Chrysostomo, Cypriano, Ambrosio, Hilario, & ex utroque Cirilo Lectiones depromptas; qui species Eucharisticas per accidentia Aristotelica non explicant: unus est D. Thomas, quem legit hujus sententiæ propugnatorē. Jam vero cùm omnes prædictos Patres legendō probet Ecclesia, omnium etiam Philosophicos sensus vel probatos dices, vel nullius. Parili ratione de Historiis Breviarii, immo fortiori loqui possumus, peculiares factorum circumstantias Ecclesiam negligere, subintellectionibusque eruditorum relinquī, quorum judiciis pendent. Diversas enim pro temporum veritate de eodem Sancto Lectiones Ecclesia probavit: quinimo pro diversitate ristuum diversæ non nunquam Lectiones de eodem Sancto leguntur, quas vel omnes quoad veritatem probatas dicere conveniret, vel de singularum veritate Historicā non curasse putandum est: cùm illi sit satis sub ratione piarum, & probabilium Historiarum proponi posse.

107. Prosequitur Saguens, ostendens, Ecclesiam in laudato D. Thomæ textu peculiarem illius sensum philosophicum non curasse; quinimo

nec potuisse; nè scilicet alios Patres damnare videatur, species Platonicas defendantes. Eamdem rationem nostræ accommodare sententiæ, quis prohibet? Nam illâ probatur, Ecclesiam Historias in Breviario contentas, quoad veritatem credendas non proponere; nè scilicet Historicorum diversa placita, quæ adhuc legi permittit, rejicere, & explodere judicetur. Quod adeò verum est, ut Correctores Breviarii multa ex composito reliquissime asseruerint, quæ minus probabilia judicabant, ut supra dictum est.

108. Denique refert clarissimus Saguens, Mag. Genarum dicere, proposito à se argumento respondere Chavetam Aristotelicum: *quod scilicet, non omnia, quæ in Officio recitanda proponit Ecclesia, sint certa, & omnino indubitata.* Quibus verbis utimimè necessarium esse collegit Saguensis, & relatas hactenus solutiones coacervans, ita prosequitur: *Ut intelligas, mi Pazzi, quantum distem à Chaveta, ecce coram profiteor, revereri me omnino Breviarii Romani authoritatem, de qua nec dubito, quin proximè accedat ad eam, quæ est Sacrae Scripturæ, & cuius est sanctissimum quoddam compendium, ideoque Breviarium. Tum in hoc Breviario profiteor pariter nihil inferi, quod non sit anteà expensum, ac libratum cohærenter ad leges consummatissime humanæ prudentiæ; quæ si deinceps advertit, in eo aliquid vel quocumque pacto,*

pacto, etiam levissimè deficiens, emendat illico, & reformat. Quia via habuimus Breviarium reformatum ius-
su Pii V, tum Clementis VIII, tum Urbani VIII. Quin
profiteor insuper, nihil in Breviario recitandum proponi,
quod non sit eximiè verum, & indubitatum, & sanctæ
Fidei, & Sanctorum Patrum moribus, & doctrinis ap-
primè consonum. At quia, ut ajebam supra, licet Sanc-
ti Patres eamdem fidem sectati fuerint, non eadem phi-
losophia ad expressionem illius utebantur; ideo, non in
eodem philosophico sensu res fidei conscripsérunt; atque
hic est sensus philosophicus multiplex, circa quem Ec-
clesia nihil determinat. Neque mirum, mi Pazzi, si er-
ga sensus philosophicos nihil determinat, quandoquidem
& disputationibus nostris permittit, sensus theologicos
varios, quin etiam in invicem contradictorios, quibus ple-
rique sacrorum Bibliorum, Conciliorum, & Patrum tex-
tus, comperiuntur obnoxii. Et exemplis rem profe-
quitur.

109. Longior fortasse fui in clarissimi Sa-
guensi mente indagandâ; sed non absque operæ
pretio; ita enim ostendisse mihi videor, quibus sit
Saguensis adnumerandus, eruditis ne Souſæ opinio-
nis Patronis, an præclarissimis nostræ defensoribus?
Facili enim negotio patere arbitror, Saguensi tex-
tum à Souſâ truncatum esse, & contra authoris
mentem ad se trahi. Ego verò ad alia pergo.

110. Nullam itaque qualificationē expositæ

sententia^e affingi jure posse ostendi : modò ausim dicere, nec posse. Atque id optimis rationibus ex celebri causa clarissimi viri Danielis Papebrochii in Fidei Tribunalibus agitatâ colligam. Romæ supplici libello SS. D. Innocentio XI prorecto à Fratre Sebastiano de Sancto Paulo inter alia accusatus fuit , quod Lectionibus Breviarii summam non præstaret fidem ; quinimo plura contra easdem sentiret. Cui repuluit P. Conradus Jannings in instructione brevi ad prædictam expostulationem Curiæ Romanæ Prælatis exhibitâ §. 3. noto, iis verbis: *Fateor* (de approbatione loquitur Lectionum à S. Rituum Congregatione) ex ejusmodi approbatione *Historiis* autoritatem accedere , neque ullus id negaverit Catholicus: at verò accedere talem, ut falsum subesse non possit *Historiis* , sub approbatione tali legi permisis , aut ut viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem Sacra Congregatio prætendit. Patitur enim de facto quæstionem agitari de Sancto Dionysio Parisiensium Patrono, &c. Prosequitur exemplis à nobis alibi allatis rem concludere.

III. Hac responsione factum est, ut delatores siluerint, & res hæc, quemadmodum aliæ eadem expostulatione delatae, tacito Curiæ Romanæ permisit, & approbatione fuerit firmata ; cùm nihil contra prædicta unquam statuerit, & præclarum

opus de Actis Sanctorum, per quod hæc opinio vagatur, non modò laudaverit, sed probaverit usu, nonnulla decernens juxta votum Bolandi. In causa enim percelebri, ubi nam corpus Sancti Antonii Abbatis existeret? disputantibus pro illius possessione Ecclesiâ Arelatensi, & Archimonasterio S. Antonii Episcopatus Vienensis in Galliâ, immemorialem possessionem utraque pars allegabat: resque adeò obscura erat, ut Judices ad veritatem ulterius indagandam interrogatorium fatis longum, & prolixum meditabantur, ut possent veritatem aliquomodò expiscari. De hoc ergo Judices per Congregationis Secretarium consuluerunt SS. Dominum Alexandrum VIII tunc regnante, qui tale decretum dictavit: *Videatur, & consulatur Bolandus in vita Sancti Antonii.* Quo facto, pro Archimonasterio S. Antonii, cui favebat Bolandus, sententia lata est. Nil moror, ut ostendam quanti Roma fecerit Holstenium, & Emmanuel Scheltratem, qui suis eruditis lucubrationibus plurima propugnant contra receptas ex Romano Breviario sententias.

112. Episcopus D. Frater Joseph de Lanzastro Regnum, & Dominorum Portugaliæ Generalis Inquisitor, inquire jussit, promulgato ad hoc negotium edicto, in opera clarissimi Danielis Papetrochii: jussit etiam, ut hujus operis volumina

Sancti

Sancti Officii Commissariis tráderentur, & denunciarentur, ut siquid in eis reperiri posset; Ecclesiæ doctrinis non consonum, censoriâ virgâ notaretur. Quod cùm factum fuisset, auditis peritissimorum virorum judiciis, innocentes libros censuit, moxque relaxari jussit, atque iis, à quibus ablati fuerant, restitui. Is sanè convincitur, Portugaliæ Inquisitionis judiciô probatam nostram de Breviarii Romani Lectionibus sententiam, quæ inter maxima prædictis voluminibus objecta crimina, infimum non erat.

113. Venio jam ad nostræ Inquisitionis Hispanæ de hisce rebus judicium. Notum arbitror, primùm ab eâdem prolatum edictum, quo quatuordecim volumina de Actis Sanctorum in totum prohibebantur, atque etiam articulis 17, & 18 Exhibitionis errorum, seu accusationum nostram impeti sententiam. Delationibus satisfacere conatus est clarissimus Papebrochius duobus voluminibus, quæ antequâm in lucem ederentur, Supremæ Inquisitionis Tribunalí præsentata sunt, cuius etiam licentiâ fuerant scripta. Quibus tandem factum est, ut anno 1710 quatuordecim prædicta volumina permissa fuerint; quadam eorum additâ expurgatione, quæ intactam penitus nostram relinquit sententiam; quinimò in Expurgatorio novissimo prohibentur *Accusationes Fratris Sebastia-*

ni à S. Paulo ; ejusque Praeambula. His (ni fallor) concluditur, nostram sententiam de temeritate accusatam Sacro Fidei Tribunal, ejus auditis rationibus, tacitâ approbatione roboretur, atque usui permisam: quod quidem, ut dilucidiūs pateat, caput absolvere libet eodem Inquisitionis Hispaniæ decreto, quo prohibita volumina permisā sunt. Sic se habet:

Don Francisco Judice, por la Divina misericordia, Presbítero Cardenal del Titulo de Santa Sabina, Arzobispo de Monreal, Protector del Reyno de Sicilia, Inquisidor General en todos los Reynos, y Señorios de su Magestad, y de su Confejo de Estado, &c. Haviendo visto, y considerado con todo estudio, y reflexion las Obras del Padre Godofrido Henschenio, y Daniel Papelbrochio, de la Compañía de Jesus, interviniendo para su expurgacion personas de literatura, è integridad, con nombramiento de los Señores Inquisidores Generales nuestros antecesores, y nuestro: Hemos acordado levantar la prohibicion absoluta de dichas Obras, que se hizo por Edicto del Señor Arzobispo de Valencia, Inquisidor General, de veinte y cinco del mes de Octubre del año pasado de mil seiscientos y noventa y cinco, con tal, que en el tomo 3, de Marzo pag. 10. col. 2. num. 27. lin. penult. donde dice: Temere, se borre esta palabra, y en su lugar se ponga: Facile. Y en el Propyleo de Mayo tomo 8. in Apparatu, fol. 29. num. 16. col. 2. lin.

lin. 1. se borren las palabras : Sed perfunctorio prorsus ratiocinio. En el mismo tomo 8. y Aparato, fol. 33. col. 1. §. 5. num. 27. lin. 6. se borre la palabra Temerè, y en su lugar se ponga, Facile. En dicho tomo 8, del Propyleo de Mayo se prohibe todo el tratado, que se intitula : Conatus Chronicorum Historici ad Catalogum Romanorum Pontificum pars secunda à Gellasio Papâ II ad Sanctum D. N. Innocentium XI. En el tomo 3. de Marzo fol. 10. col. 2. num. 27. lin 6. se borre la palabra, Temerè, y en su lugar se ponga , Facile. En el tomo 1. de Abril, fol. 903. en la Dissertation , que se intitula, Appendix de Officio Venerabilis Sacramenti , en que niega, que Santo Thomàs compuso el Oficio del Corpus, se ponga à el margen la nota de haverse retratado Papebrochio de este sentir. En el mismo tomo 1. de Abril, fol. 776. col. 2. num. 38. en que niega, que S. Alkerto, Patriarcha de Jerusalen, huviese tenido culto entre los Canonigos de su Iglesia , se ponga al margen la nota, que el Author se retrató de esta opinion. En el tomo 1. de Mayo, fol. 245. num. 381. se borre des de la palabra: Hanc vitam , quam periisse credebat Baronius, hasta el fin del numero. En el tom. 2. de Mayo, fol. 461. col. 2. num. 2. despues de la palabra : Martyrem dici, se añadi inmediatamente : Minùs propriè. En el tomo 2. de Mayo, fol. 626. col. 1. num. 1. en que hab'a del Arzobispo Senonense, se ponga

à el margen la nota, de que el Author se retrató de lo que dize en orden à haver sido sospecho en la Fe, y Jansenista. En el tomo 7. de Mayo fol. 8. del Paralypomena addendorum, col. 2. num. 35, se borre desde las palabras : Non sine apocryphis, hasta el fin del numero. Y para que conste, mandamos despachar el presente Edicto, firmado de nuestro nombre , sellado con nuestro Sello , y refrendado del infrascripto Secretario del Rey nuestro Señor, y de su Consejo de la Santa , y General Inquisicion. Dado en Madrid à veinte de Diciembre de mil setecientos y quince años. El Cardenal Judice, Inquisidor General. Don Antonio Alvarez de la Puente, Secretario del Rey nuestro Señor, y del Consejo. Concuerda con su Original. Don Antonio Alvarez de la Puente.

CAPUT NONUM.

*QUEMDAM CERTITUDINIS
moralis gradum exposita à me
sententia attingit.*

114. **S**i, quæ hucusque dixi ; attentè legantur, nil ultra requiri puto , ut, quam propugno , sententiam ab omni Theologicâ censurâ liberam, gravibus, immo-

gravioribus fundamentis nixam ; quilibet prudens existimet. Modò iterum ad eadem animum convertens, serioque de iisdem cogitans, certitudinem etiam quamdam moralem attingere ex rationibus nempe, quibus nititur , sine hæsitatione affirmo. Quod & probare aggredior, primò ex eruditissimis principiis , secundò causæ ipsius, à me expositæ, consideratione.

115. Inter regulas pro conscribendâ Historiâ à Soussa traditas tom. 1. part. 2. sec. 7. assert. 54, duæ maximè ad rem nostram probandam faciunt: 5 nempe, & 11. Quinta sic se habet: *Ne sequitor authoris Catholici librum, qui prohibitus est, si ignoretur causa prohibitionis; ne sequitor librum iis in locis, & punctis, quibus Ecclesia deleri jussit.* In his sumus, erudite vir. Fratris Sebastiani à Sancto Paulo accusatio, in qua non infimum tenebat locum tua de Historiis Breviarii cogitatio, notabaturque Papebrochius, quòd eas reliquerit, contraque egerit, inter libros prohibitos in Exupratorio Hispano novissimo reperitur , neque ibidem exprimitur ejus causa prohibitionis : ergo sequendus in iis non est.

116. Regula undecima præscribit, *authorum non credendum, qui ea, quæ asserit, probat argumentis jam dudum solutis, nisi aperte demonstret solutionum vitium.* In eodem item casu versamur; tu enim, eruditus

dite vir, argumenta profers à Papebrochio in Responso, ab aliisque Authoribus soluta : tibi itaque fides neganda est: quòd etiam tam longè sis à solutionum vitiis ostendendis , ut nec discussioni subjeceris præcipua, neque eorum quidem memineris. Quapropter vel deferendæ regulæ sunt, vel tu eas hic infringis.

117. Sed tamen (ut verum fatear) neutram ex allatis, Historiæ regulam esse teneo. Quinta duplici laborat vitiō, quòd à Melchiore Cano, quem pro illa citas, eodem sensu non tradatur; cùm Cano de Historicis illis loquatur, quibus Ecclesia autoritatem tribuit, vel ut tales credendos non esse statuit. S. Hieronymus in Apologetico adversus Rufinum : *Vir, inquit, doctissimus Eusebius, doctissimum dixi, non Catholicum; ne more solito mihi, & in hoc calumniam struas.* Alterum vitium est; nam Author, cuius opus prohibitum fuerit, quin causa fuerit manifestata, vel de his loquitur, quæ in aliis Catholicorum operibus etiam traduntur, vel nova, & non alibi invenienda tradit: in i ca-
su, eadem sequi possumus, quia sine errore, aut suspitione ab aliis discere, Ecclesiâ permittente possumus, quorum sunt permissa opera, & sine Ecclesiæ scandalo leguntur. Quod si de novis in prohibito opere solum inveniendis regula tradita præscribit, superfluit omnino ; quia si repugnans

Catholici omnes, error in fide erit; si siluerunt vi-
ri omnes docti, temerè omnino proferetur, & Ec-
clesiæ prohibentis judicio certi reddimur, sine fun-
damentis Catholico homine dignis eadem proferri.
Hæ potius regulæ dicendæ essent, quàm à te tra-
dita.

118. Undecima regula principium in His-
toria esse non potest; sed contra adversariorum ra-
tiones assylum non tutum. Si enim in re proba-
bili, ut pleræque ad Historias attinentes sunt, quod
fuerint soluta argumenta, reponis; idem pars ad-
versa, ut se tueatur, proferet. Quod si in Philo-
phicis, & Theologicis eadem regula valeat, silebunt
Scholæ, exceptione prolatâ de solutis jam argumen-
tis. Fieri posse non nego, ut opinionis alicujus ar-
gumenta adeò evidenter soluta fuerint, ut omni-
bus jam constet de solutionis veritate: qua quidem
in re regula potius instar habebitur illa solutio, se
ipsâ considerata, quàm, ut ex allata à te regulâ
diffluens. Lumine enim rationis absque alio admi-
niculo credere constringimur, falsum esse, quod
evidentis falsitatis convictum esse, nobis constat.
Superfluit in his casibus omnis regula, quæ potius
impedire, quàm juvare intellectum potest.

119. Progredior ulteriùs, quò veritatis amor
me vocat. Certitudinem ex rationibus intrinsecis
nostram sententiam attigisse, ostendere progredior.

Ingenuè fateor, quām plurimos authores id negare; sed id ad extrinsecam pertinet probabilitatem. De rationibus solum loquor, quibus res deciderenda est. Moraliter certum habemus, quod aliter esse non potest, attentis rerum circumstantiis, factorumque serie: qua usurpatione præmissâ, sic statuo. Veritas Historiarum de Sanctis à Romanis Pontificibus in earum historicos authores refunditur, & praxi Ecclesiæ à Sancto Gellasio I ad nostra usque tempora, non aliter acceptæ sunt, quām in authorum fide, à quibus perhibentur compositiones. Ostensam hanc veritatem, si quæ hactenus dixi, aliquid valent, fatendum est. Jam verò adjicio, certum esse, non aliām fidem habendam à nobis esse prædictis Lectionibus de Sanctis, quām eisdem haberí vellint Romani Pontifices, Ecclesiæque à tot sæculis servata praxis. Concludere ergo possum, certa esse, quæ hactenus dixi, neque alter haberí se posse.

120. Clementino-Urbanum Breviarium perfici ulterius posse, luculentissimis est rationibus ostensum. Si itaque institueretur de novo ab aliquo Romano Pontifice nova correctio; non ex Breviariis antiquis corrigerentur Lectiones de Sanctis, quoniam si eisdem Clementino-Urbanum comparaveris, cum Gavanto fateri debes, correctius nullum Breviario Clementino-Urbano extitisse.

Quo-

Quocirca ad authorum fidem recurrerent correctores, ut Lectiones de Sanctis novâ luce perficerent: utî in superioribus correctionibus factum est. Si autem non sunt res gestæ vana conjectura futuri, manifestum relinquitur, in iis rebus aliter rectè procedere non posse, nisi ex fide, & testimonio authorum, à quibus Lectiones mutuatæ sunt. Stante denique rerum harum serie, veritas prædictorum ex Authoribus unicè pendet. Optimè Papbrochius in Propylæo Maii pag. 18. loquens de Sancto Cleto, ait: *Hactenus in Breviario Romano, sicut illud Pius V. edi jussit, legitur patienter, sed non ideo probatur. Non probantibus autem haud quaquam indignatur Romana Curia, sed audit eos gratiōsē; & laudat studium benemerend. de re Christiana, detengendis, si qui videntur obrrepſisse, erroribus; licet non statim (neque enim convenit) admoveat correctioni ab iis operatæ manum.*

121. Rationes verò in superioribus capitibus expositæ, graves sunt seorsim acceptæ: quod si colligantur, totaque eorum series percipiatur; aliter rem esse humano modo non posse, colligetur illicò. In his autem nec certitudinis gradum statuere, nec multùm immorari malui. Horumque judicium ad eos potiùs, qui rem maturiùs, & absque scribendi pro eâdem, præoccupatione consideraverint, relinquendum semper duxi.

CAPUT DECIMUM.

*ARGUMENTIS SOUSSÆ EX
authoritate Doctorum Hispanorum,
& Lusitanorum petitis
fit satis.*

¶ 22. **V**Enio jam ad erudit Soussæ argumenta consideranda. Duplici communi principio solvi, & infringi omnino possunt argumenta omnia, quæ ex authoritate Doctorum Lusitanorum, & Hispanorum petit. Alterum , quod aliquos perperam citat: ut de Suario , & Saguen-sio jam ostendi , & postea eâdem evidentiâ de Ambrosio de Morales demonstrabo. Alterum denique, quod licet, quos citat, pro sua starent opinione; quam plurimos paris eruditionis pro meâ ex Hispanis recensui sententiâ. Totum itaque hoc argumentorum genus immissum fieri poterat, re integrâ, & salvâ, quam defendo. Sed tamen , ut nullum ex propositis argumentis, sine propriâ satisfactione relinquam, non piget , singulos objec-tos authores percurrere :& quæ communia sunt,
singu-

singulos tangere, rationibus non inopportuniſ of-
tendere.

123. Affert ex Hispanis Eximium Docto-
rem loco à me num. 45. exposito, ex quo colli-
gitur, injuriā pro Souſſæ opinione citari. Affert
etiam Franciscum Padilla, & Patrem Augustinum
de Herrera, de quorum locis octavo capite diffe-
rui. Affert præterea Georgium Cardoso tomo 1,
in advertendis ad Agiologum Lusitanum §. 2,
primum locum in re Historicâ tribuentem Bre-
viariis, & Martyrologiis; secundum verò Sanctis,
& Authoribus Ecclesiasticis, qui Divorum scrip-
te gesta. Ex quo infert Souſſa, maximi fieri à
Cardoso Breviarii authoritatem. Sed enim verò &
ego plurimi Breviarium, ejusque authoritatem fa-
cio. At extra rem hæc sunt, ut ex hactenus dic-
tis liquidò fluit. Licet tamen dem tibi, pro te sta-
re Cardosum, addo insuper iisdem argumentis
imperi, & planè obrui. Nam falso nititur, cùm
Historias Breviarij accipere veritatem ex Lectione
in Ecclesiâ, aut insertione in sacris libris, existi-
mat: atque idcirco primum Lectionibus, secun-
dum Authoribus, ex quibus erutæ sunt, dat lo-
cum. Contrà verò res se habet, penitusque diver-
ſa est, ut capitibus 4, & 5 probatum manet.

124. Ambrosium de Morales (si Deo plā-
cet) etiam pro ſe citat eruditus Souſſa: quo qui-
dem

quidem in loco miratus sum, clarissimum virum
 cæcutire, nobisque tenebras mittere; lucem verò,
 quam his rebus afferre poterat dissertatio ejusdem
 Ambrosii de Morales, quam eodem libro 9 Historiæ Hispaniæ præmittit, celare penitus, & ne ver-
 bum quidem de illâ facere; licet ex illa sumptus
 sit locus, quem nobis objicit. In quo afferit: *En general las Lecciones de los Santos, que de mui antiguo reza, y haze fiesta la Iglesia Romana, son graves, y mui dignas de ser aprobadas, aunque no sepamos, quien las escribió; conforme à esto tendrán mucha autoridad las Lecciones, que se hallan en un Breviario Romano antiguo impresso en Venecia, mas ha de cien años.* Et hujus Breviarii authoritatem ostende-
 re prosequitur. At Soufa dicere debuerat, quæ in
 eadem dissertatione leguntur: ubi rem nostram ex
 professo tractat. In titulo *De las Lecciones de los Santos*, ita loquitur: *Las Lecciones de los Martyres son una historia, donde se cuentan las vidas de los Santos, y assi se les debe dàr el credito, que à otra Historia se suele dàr, salvo que, por tenerla recibida la Iglesia, se le debe aquel respeto, y reverencia, que hemos dicho, para no contradecirla, ni desecharla ligera- mente, sino con causas suficientes, y casi manifiestas.* Me minit, in hac re sic stabiendâ peritissimos
 Theologos consuluisse, qui eadem censuerunt: &
 Melchiorem Canum, quem ut Magistrum vene-
 rabatur,

rabatur, citat. lib. 11 de locis, cap. 6, atque ita concludit: *Otras (de Lectionibus loquitur) lo que no se puede decir, sin grave dolor, tienen tan claro el no ser Historias dignas de los Santos, que sucede luego el tener los hombres maliciosos ocasion de burlar de ellas; y los buenos Christianos, y prudentes de llorar, el ver assi escarnecidas las cosas de los Santos.*

125. Ut hanc clarissimi Ambrosii de Morales doctrinam cum objectâ à Soufa convenire ostendam, juvat rem paulò maturiùs considerare. Quæstio non est, an antiqua Breviaria, aut Sanc-toralia locus aptus ad Historiam dilucidandam non sint, in his præcipuè, in quibus meliora non habemus, ac ubi non refragatur antiquitas. Hoc asserere voluit citato à te loco Ambrosius de Morales; nec diffiteor, cùm probabile tantùm Historiæ locum illum esse asseras. Hoc, inquam, nostram difficultatem intactam prorsus relinquit, quam citato à me loco expedierat.

126. Affert etiam Maluendam, & Vincen-tium Cellàn in libro inscripto: *Excelencias del Di-vino Oficio*, cap. 4. num. 1, ubi ita habet: *Otras Lecciones son de vidas de Santos, y Historias authenti-cas de sus hechos, martyrios, y virtudes; y advierto, que aunque no son de los Libros Sagrados, que se llaman Canonicos, pero son verdaderissimas, sacadas de los an-tiguos Martyrologios, que los Notarios de Roma escribie-*

cribieron por orden de los Papas en el tiempo de las persecuciones de la Iglesia: y de los que en otras partes sucedian, compuestas por personas de gran confianza. Testem hunc probare satis rem non posse, illud planè evincit, quod falsis nimis principiis nitatur. Afferit nempe, Martyrologia antiqua à Notariis urbis Romæ descripta esse; sed quænam hæc sunt, ubi reperiantur, ignorat Litteratorum Respublica: quæ enim Martyrologia novimus antiquissima, à recentioribus primis sæculis descripta sunt: Eusebio nempe, aut Hieronymo. Notarios urbis Romæ scripsisse res Martyrum, non dispujo; sed ea Acta periisse Diocletiani persecutione, cum Baronio lugeo. Pauca sunt ex hoc naufragio libera Martyrum Acta: ex quibus, siquæ leguntur Lectiones in Breviario, certissimas esse, affirmo: de aliis est sermo, ab antiquitate ignoratis, illique pugnantibus. Demum, ut textum Cellàn nihil ad rem facere ostendam, animadvero, non constare, in reliquis orbis partibus gesta Martyrum eâdem diligentiâ descripta fuisse, ac Romæ notabantur. Quodcumque tamen, sive id affirmas, sive negas, tandem elligas, pro me erit. Si negas, rem teneo; si affirmas, asseram persecutionum temporibus patiter periisse: vel ostende, ubi sint, quibus servata authoribus, quibus denique monumentis inserta.

127. Quoad Maluendam attinet, illum

conjungo cum testimonio allatō ex Didaco de Morillo in libro , cui titulus : *Capilla Angelica, y Apostolica de la Madre de Dios del Pilar* , tomo 1, cap. 5. pag. 36: nam ambo loquuntur de adventu Divi Jacobi in Hispanias , non idcirco verus, quia Breviario insertus, sed contrà. Rem neuter attingit in universum, & in eo , in quo disputamus, sensu.

128. Quæ igitur sit Lusitanorum , & Hispanorum mens, erudite Lector, jam vides. Octo pro se authores Soufa attulit, ex quibus duo, Suarius, & Ambrosius de Morales, ineptè afferuntur. Ex sex aliis, qui restant, duo de adventu tantùm D. Jacobi in Hispanias præcipue loquuntur : qui reliqui sunt, quatuor cum Soufa planè conveniunt. At his oppono Cardinales Turrecremata, & Rocaberti, Nicolaum Antonium , Ludovicum Vives, emunctissimæ naris criticos , quibus addo Michaelem de Sanctâ Mariâ, Magistrum Segura, &, quos pro te citas, Ambrosium de Morales , & Suarium. Denique adjicio clarissimum virum Joannem de Ferreras part. 16, cap. 2. pag. 12. num. 2. sic ajentem : *Los Doctos no ignoran , que nuestra Madre la Iglesia Romana no quiere , que à las Lectio- nes Historiales del Rezo, que no tocan à la Fe, im- mediata, ò mediatamente , ò à las tradiciones de la Santa Iglesia Romana, se les dé mas fe , que ellas. por si se merecen.*

129. Concludo denique, eruditum Sousa non probare, quod initio capituli sibi stabiliendum assumpsit, authores nempe Lusitanos, & Hispanos suam asserere, & docere sententiam. Nam si hoc vellit (ut par erat) unanimem, & communem sententiam Doctorum Hispanorum pro se esse, ostendere debuerat; atqui hoc non probat; octo enim allati, non sunt omnes. Quod si tantum ostendere mens erat, aliquos Doctores Hispanos, & Lusitanos secum sentire, verum id quidem; sed ante lectum caput etiam concederem.

CAPUT UNDECIMUM.

*EX AUTHORIBUS EXTERIS
suam conclusionem Sousa
non probat.*

130. **Q**ui deferendum maximè in nostra disceptatione exterorum Authorum testimentiis esse putant, mecum sentire tandem, confido. Nihil enim unquam eruditum Sousam concludere ex iisdem magis existimavi, quam cum authores aspexi, quos pro se citat: quibus etiam in universum eadem reponere possum, quæ nostris autho-

authoribus accommodavi. Affert pro se Bordonum, Saguensium, Sausay, quorum testimoniis jam respondi. His addit Gavantum, cuius mens perfecta jam, & dilucidata est ex superioribus. Vim tamen in eo facit, quod Bartholomæus Gavantus affirmet ad hanc usque diem Breviarium non esse editum, tot nominibus absolutum. At non negat, perfectius edi posse; quinimò ex illo collegi quam possit Breviarium idem in quibusdam perfici: atque etiam fatetur, Historias plures, quæ minus probabiles à Correctoribus judicabantur, relictas ex cōposito fuisse, nè unō ictu mutasse omnia viderentur.

131. Franciscum Dinum item profert in historicâ dissertatione de translatione corporis Sancti Bartholomæi Romam ex Benevento. Cui reposimus, Cardinalem Ursinum contra eandem translationem scribentem: cuius authoritas in hac re major procul dubio existit. Denique Eminentissimum Cardinalem D. Prosperum de Lambertinis, virum non modò pietate, sed litteris, & eruditio- ne toto Orbe celeberrimum, nobis objicit: qui, dum Promotor fidei Sacræ Rituum Congregatio- nis esset, plurimi faciebat Breviariorum authorita- tem. Verba Sousæ scribere volui, ut quanti haben- da sit ejus de mente Cardinalis Lambertini opi- nio, plenè constet,

132. *Huic authoritati adeò detulit Em. D.S.*
R. E. Card. Lambertinus, cùm esset fidei Promotor, ut,
ea legendo, noluerit negare adventum Sancti Jacobi in
Hispanias, licet hoc esset optimum medium ad oppug-
nandam concessionem Lectionum particularium in festo
Dominæ nostræ à Columna, quas ex officio oppugnandas
susceperebat, ut constat ex illius animadversionibus, quas
allegavi num. 2250. Prædicta autem habet num.
2763. Citato verò à se locô hæc tantùm ex præ-
dictis animadversionibus profert, Romæ Sacræ Ri-
tuum Congregationi expositis anno 1729: ea, quæ
mox, à me dicentur (Princeps Em. loquitur) non
eo animo dicta censeri exopto, ut piam illam Apparitio-
nis traditionem convellam; imprudentis enim esse vide-
tur eam dicto animo impugnare, ut inquit Theophilus
Raynaudus operum tomo 7, in opere, cui titulus Dyp-
thica Mariana punct. 10, num. 5. Ubi post narra-
tam Virginis Apparitionem Sancto Jacobo in Hispania
degen:i, ait, eam traditionem convellere prudentis non
est; sed ut muneri mihi imposito satisfaciendum, Sacræ
huius Congregationi suadeam, ut, relicta traditione in eo
statu, in quo nunc est, abstineat ab approbatione Lec-
tionum, in quibus dicta exponitur Apparitio. Hæc tan-
tùm profert, alia magis opportuna omittens, quæ
deinceps afferam: rem concludens exclamationibus,
& ratiotiniis vehementibus, quibus à dissertationis
filo abstrahuntur Lectores.

133. Quæ sit in re, quam tractamus, eruditissimi Cardinalis mens, ex scriptis ab eo operibus, mihi colligere non licuit: ex prælaudatis vero animadversionibus, abs dubio colligendum duco, potius nostræ, quam Sousæ favere sententiæ. Quod Breviarium plurimi faciat, ad rem non est: nemo enim nostrum illud despicit; sed suscipit, veneratur, & usu probat. Quæ à Sousâ afferuntur, probant, contra prædicti hujus Emm. sententiam in Breviario collocatam fuisse de Apparitione Virg. Mariæ de Columna traditionem: id autem liquidò fluit ex verbis allatis. Quod si ex mente propriâ non est prædictus Cardinalis loquutus; sed ut muneri Promotoris fidei, quo fungebatur, satisfaceret, eadem collegit; argumentum inde aptum erui non potest ad ejus mentem expiscandam.

134. Quod autem potius mihi faveat, colligere possem ex eo, quod prædictam traditionem in Breviario collocandam non ducat; quinimo addit alia opportuniora, quibus apertè constat, Lectionum Breviarii veritatem ex authoribus tantum defumi, adventumque D. Jacobi, non quod Breviario primò insertus fuerit; sed quia eidem productis doctissimis scriptis, habitoque prolixiore examine fuerit restitutum, vendicat. At quoniam, ait, tempore Urbani VIII pluribus ex Hispania allatis doctissimis scripturis, post rem maturè, & diu examinatam, anti-

qua narratio, quæ fuerat à Breviario Romano ablata, fuit iterum in eodem inserta, & in eodem legitur, & recitatur quolibet anno ad diem 25 Julii, uti Historiam mutationis, & successivè restitutionis plenè enarrando testatur Raynaldus Protonotarius Apostolicus ad annum Christi 1625. die 25 Julii::::: Hinc est, quod hoc fundamentum pro impugnanda B. Virginis Apparitione, de qua nunc agitur deserere cogor, & in eo, quod attinet ad punctum adventus, & prædicationis S. Jacobi in Hispanias, me libenter subscribo, tum auctoritate Breviarii Romani, &c.

135. At dices, prædictam traditionem collocari jussam S. Congregationis Decreto in Breviariō. Ego verò neutrum nego: nec Traditionis adeò plausibilis veritatem, nec ejus in Breviariē insertionem; verùm affirmo, nihil hæc conferre ad laudati Cardinalis mentem perspicuè cognoscendam; cùm ex ejus scriptō colligi non possit certò, ac præterea contra ejus allegationem S. Congregatio protulerit sententiam.

136. Sex itaque authoribus probationem omnem, ex exteris authoribus petitam, eruditus Soufa concludit; ex quibus Gavantus, & Saguenfius excludendi sunt contra propriam citati mentem: atque etiam Cardinalis Lambertinus male adducitur: cuius mens convenientibus testimoniois non probatur. Restant Bordonus, Saufayus, & Dinus,

in hac re non conferendi Benedicto XIII, & Car-
dinalibus Baronio, Bona , eruditisque pro nostrâ
sententiâ num. 24. citatis.

CAPUT DUODECIMUM.

*VERITATEM HISTORIARUM
Breviarii ex earum materia eruditus
Sousa non probat.*

137.

Ad rationes ab erudito expositas
jam deventum est. Multipliciter
eas dividit pro divisione causa-
rum, quarum Aristoteles in li-
bris de causis meminit, atque ita arguit, & colli-
gere Lectionum Breviarii veritatem contendit ex
earum causis, materiali, formali, efficienti , finali,
& exemplari. At neutro ex his capitibus rem te-
net. In præsentiarum de causa materiali differam:
sequentibus verò capitibus cæteras discutiam.

138. Sectione 2, assertione 1, ita argu-
mentum proponit. Lectionum Breviarii materia
autores sunt, aut Sanctorum Acta. Jam verò hæc
esse possunt originalia , & syncera, aut recentiora
factis, dummodo competentem habeant antiquita-
tem. Si de Actis originalibus loquamur, statuendum
est

est cum Ruytnart in præfatione generali ad Acta Sanctorum Martyrum, proxima illa Scripturis in veritate esse. Si authores inspiciamus, ex quibus Lectiones sunt erutæ, de iisdem Urbanus VIII in Bulla Breviario affixâ docuit, priscos, & probatos fuisse. Cùm itaque negari fides prudenter non possit, priscis, & probatis authoribus, dummodò nullam involvant contradictionem, manifestum est, vera omnino esse, quæ in Lectionibus leguntur, si earum materia spectetur. Pronum enim prædictis authoribus fuit, à majoribus accepisse ea, quæ in libris suis tradidere; & cùm jam sint probati, certum est, eos judicatos fuisse à sapientibus viris dignos fide, neque fabulis fuisse delectatos.

139. Quem non erudit Souſæ ratiocinatio emolliet? Quem non convincet? Sed si paulisper attendas, nihil ab ipso ad rem probari statues. Ab initio dixi, non unam esse posse de Breviarii Lectionibus in universum sententiam, quòd earum materia diversa in plerisque reperitur. Cùm enim constant ex Sanctorum Actis synceris, aut authoribus, qui ab omnibus æquè recipiuntur, fideque omni humanâ digni sint: cùm facta ad regulas Historiæ narrant, habentur etiam certæ, & indubiæ, quæ ab ipsis sunt depromptæ Lectiones. Quòd si ex minoris fidei authoribus, aut Actis, erutæ inveniantur; minorem pariter fidem eisdem habemus.

mus. Jam verò , cum etiam ab authoribus , auct
scriptis mutuaverit nonnulla Ecclesia, in ejusmodi
Lectionibus, quorum fides, aut dubia , aut nulla
deprehensa est sequentibus temporibus; sit pariter,
ut has tutò relinquere , & fidem iisdem præstare,
non possimus.. Enim verò Lectiones omnes in uni-
versum sub ratione tantùm piarum, & probabilium
Historiarum respexit Ecclesia, & quidem eo tem-
pore, quo fuerunt probatæ. Atque etiam in supe-
rioribus repetitum est , quām plurimas Historias
fuisse relictas, quæ minùs probabiles correctoribus
sunt visæ.

140. Quo sit , ut Ruitnarti locus ad rem
non sit, cùm de Historiis erutis ex synceris Actis,
nobis sermo non fuerit. Urbani locus minùs rem
conficit: ex illo nempe solùm eruitur, ex probabi-
libus authoribus fuisse Lectiones desumptas : cum
prisci, & probati authores in Urbani verbis syn-
chroni, & coævi non sint; quinimo ex correctorum
judicio omnium Lectionum authores non fuere
probatisimi, & antiquissimi, qui in re haberí possent.

141. Miror idcirco ex prædictis eruditum
Sousa placidè intulisse, materiam Breviarii , id est,
Historias, & Acta, ex quibus sunt Lectiones com-
positæ, certam omnino esse. Non enim introspi-
cere potui, quî hæc ex prædictis inferantur? Nec
minùs animadvertere potui harum rerum inter se

nexus,

nexus, & connexionem. Cùm enim de synceris Actis, aut authoribus, quorum fides ab omnibus recipitur, non loquamur; nulla est vis, qua hæc inter se connectantur, colliganturque. Quæ verò superaddit de authoribus, licet non coævis, aut ferè coævis, aut in re antiquissimis, eâdem humana fide credendis, ac posterioribus, nostrorum tamen temporum consideratione antiquis; non æquè mihi persuadebit. Quia de re deinceps sum loquuturus. Nil tamen turpius committi ab Histro-
rico posse existimo, quam ut res ex nudâ possibi-
litate pendeat, & certò sibi persuadeat; rem in re-
centiori solùm inveniendam, quod nullam contra-
dictionem involvat. Correctores denique nulli ex
iis, quæ circumferebantur, sententiis, suo judicio
præjudicium intulerunt. Immo nullum judicium
protulerunt, quo probari posset, digniores
reputasse authores; quorum memorias
reliquere; cùm inter probabilia
probabiliora eligere, in
animo non ha-
buerint.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

EX FORMALI CAUSA LECTIONUM Breviarii earum veritas minus probatur.

142.

Inceptum à ratione argumentum ex formali causâ exponere eruditus Soufa prosequitur, atque in hunc ferè modum ratiocinatur. Quemadmodum totius Breviarii forma nil aliud est, quām omnium inter se partium dispositio, & ordo, conformis planè ideæ, quam Ecclesia in formandis Breviariis sibi proposuit; ita etiam Lectionum forma aliud non est, quām debita ratio Lectioni. Postquam hoc supposuit, aliud sibi dari postulavit: Lectiones nimirum Breviarii duplici consideratione intueri posse: ut nimirum quædam Historiæ sunt, atque etiam ut Lectiones Sacræ habentur. Quibus datis, ita arguit: sive considerentur Lectiones, ut Historiæ sunt, sive ut Sacræ Lectiones sunt, certam, & indubiam authoritatem habere debent: ergo ex formali causâ Breviarii Lectionum veritas manifestè probatur.

143.

Antecedentia ita probat. Si Breviarii Lectiones

Lectiones, quā Historiæ sunt, veræ non essent; fabulæ potius, quām Historiæ essent nominandæ. Prima enim Historiæ lex (Cicerone authore lib. 2. de Oratore) est veritas: ergo Ecclesia in Lectionibus Breviarii nobis veras Historias proponit, non verò confictas fabulas obtrudit. Ergo Ecclesia iudicat, esse vera, quæ in Lectionibus Breviarii collocari iussit. Qua ergo prudentiâ, quove jure poterit quispiam judicio Ecclesiæ reluctari?

144. Si etiam Lectiones Breviarii, ut Sacras Lectiones consideres, certam potius veritatem habere debent. Materiam enim prædicandam, & credendam continent, quamque Ecclesia prædicare, & credere jubet. Quis autem Catholicus non perhorrescat (exclamat) vel cogitare, Ecclesiam præcipere, ut prædicetur mendacium? Jubere, ut credatur mendacium? Antecedentia, ex quibus tam facile tot consequentias elicuit, duplii ratione probat. Prima nempe, quod Ecclesia punire non posse prædicantem, & credentem, quæ in Breviarii Historicis Lectionibus continentur. Pro qua re Divum Paulum ad Romanos citat, (licet fateatur de hoc propriè non loqui:) Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Ideo hæc protulisse dicit, quod accommo-

dari facile possint rebus ; quæ humanâ fide creduntur : quibus præcedit iusso Ecclesiæ, ut legantur, & prædicentur : prædicationem sequitur auditio, auditionem sequitur iusso Ecclesiæ, ut auditis præstetur fides.

145. Secundam rationem ex Pontificali Romano petit titulo *De Ordinatione Lectorum*, ubi eos ita Pontifex monet. *Quod autem ore legitis, corde credatis, opere compleatis.* Quibus admoneri verbis existimat, ut non modò credant iis , quæ in Breviariis legunt ex Sacris Scripturis, sed etiam Historiis cæteris : hac differentiâ , quod Scripturæ Divinâ, Lectionibus cæteris humanâ, fide sit credendum. In eandem, inquam, rem postremam tituli laudati orationem citat, in qua Historicas Lectiones ad mores pertinere , probatur. At postquam hæc retulit , iterum eandem crambem recoquit, nobis objiciens diligentiam, & curas in Breviariõ colligendo collocatas, ex quo errores omnes ex typographorum , aut perversorum hominum incurriâ, aut malitiâ, remoti sunt. Subinfert itaque, quæ fuere relicta ab Ecclesiâ, vera habita , & judicata fuisse.

146. Prolixius ista retuli , ut argumentorum eruditæ vires pateant : levia enim , & minimè concludentia ex relatorum consideratione quilibet æquus lector dijudicabit. Sed , ut nil, quod

quod ad trutinam vocatum non fuerit, relinquatur, ea non omisi, ad utiliora progressurus. Sou-
ſæ concedo formam Breviarii Lectionum, esse ea-
rum peculiarem ordinem, rationem, dispositio-
nemque exemplari, & ideæ Ecclesiæ in illis for-
mandis respondentem. Concedo illi insuper, Lec-
tiones Breviarii, ut Historias, ut Sacras item Lec-
tiones considerare nos posse. At cum in iis con-
veniamus planè, nescio quo pacto à causa forma-
mali arguat eruditus Souſa, atque sequentia argu-
menta non capio. Ratio enim Historiæ, aut Sacræ
Lectionis, quæ proculdubio in Breviarii Lectioni-
bus reperitur, eorum peculiaris forma non est.
Vocasti enim nos, erudite Vir, ad Philosophicas
quibus etiam libenter accedam, ut neque ex iis
patrocinium pro tua causa peti posse, ostendam.
Cujuslibet rei peculiaris forma illa ratio est, & à
Philosophis habetur, per quam ita in se res perfi-
ciuntur, ut à cæteris differant propriâ ratione. Id
autem licet explicatu difficile sit in Breviarii Lec-
tionibus, nisi in ordine ad exemplar, quod sibi in
iis formandis proposuit Ecclesia; tamen hinc, &
non aliò peti debebant argumenta, quæ ex forma-
li causa Breviarii eruisse, dicis. Jam verò conveni-
re aliis, & cum iis confundi Breviarii Lectiones,
ut Historiæ sunt, atque etiam ut Sacræ Lectiones,
pluribus ostendam. Historiæ ratio iis, quæ in Bre-
viario,

viario, & iis, quæ extra sunt, æquè convenit, atque in ipsomet Breviario Historiæ ratio pluribus Hymnis, Responsoriis, & Orationibus aptari potest; quam ob rem hâc consideratione Lectiones Breviarii à cæteris ejus partibus non distinguuntur. Sacræ Lectionis etiam ratio distinguit minus, quæ jure tribuitur Homiliis Patrum, Lectionibus Scripturæ, atque etiam cuilibet Ascetico libello convenire potest. Fateri itaque necesse est, argументa, quæ ex causa formalí Breviarii eruere promisisti, re verâ omissa esse.

147. Sed mittainus hæc: dissimulare juvat. Num, quæ exponis pro hac re probandâ, aliquid convincant, examinare, & statuere aggredior. Videamus rationes ipsas Historiæ, ac Sacræ Lectionis: an aliquid se ipsis concludant. Ratio enim, quam ex Cicerone petis ad probandum, ex Historiæ consideratione Breviarii Lectiones veras esse dicendas, probat nihil. Non enim de Historiis jam factis, vel in universum, veras esse debere in secundo de Oratore libro affirmat. Scriptorem Historicum instruit, vel Oratorem, cum historica loca tractat, ut præ oculis ante omnia veritatem habeat, utpote optimam Historiæ dotem. Cum itaque veritatem primam, & æstimabiliorem Historiæ perfectionem statuat, Historias in universum docuit, quæ factorum narrationes solum includunt, veras esse posse, aut

aut falsas. Sed quid in his immoramus, cùm Historiæ ab omnibus tractatoribus dividantur in certas, probabiles, & falsas. Neque verò probabis unquam, Ecclesiam peculiares, quas legit, Historias, si ipsâ composuisse, ut à Cicerone prolatam regulam observasse non diffiteamur. Jam enim probatum est, Ecclesiam ab authoribus mutuasse Lectiones, in quorum fide & suscipit, & legit.

148. Idcirco nec prima, neque quas sub inserit consecutiones, rectè fluunt. Plurimū enim interest inter probabiles, aut falsas narrationes bona fide creditas, legendas etiam proponere, & falsas narrationes obtrudere. Hoc sine mendaciō fieri nequit; illud summā veritate, legendum proponi potest, sicut in Asceticis libellis horum plura videmus. In hanc rem doctissimi Joannis Gersonii egregium locum, quo hæc, & similia dilucidantur, non modò laudare, sed etiam tamquam regulam habere, semper mihi visum est: citato enim superiùs opere sic ait: *Sicut ait Aristoteles, nihil refert quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris; ita nihil refert quædam falsa piè credi; non quod ea ratione, qua falsa sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possint (procul hoc à pietate fidelium) sed cadit existimatio, vel pia credulitas non super veritate, vel falsitate, sed tantummodo super apparentia, vel probabilitate; hoc utique non est periculosum, vel falsum, quia constat*

de apparentia. & probabilitate, dum falsitas, & veritas ignota est. Præterea sæpius dictum est, Ecclesiam de Historiarum prædictarum veritate judicium non ferre: quò circa ultima consequentia ad rem non venit, exclamatioque ibidem adhibita superfluit.

149. Consideratio Breviarii Lectionum, ut piæ Lectiones sunt, alterum erat argumentum, minùs verum, minùsque convincens. Etenim licet Historicæ Lectiones materiam prædicandam, aut credendam contineant, hæc quidem non necessaria est, sed probabilis. Prædicari quidem, & credi possunt, & tamquam verisimiles explicationes, aut exempla fidei, & morum doctrinæ. Neque aliud puto eruditum Sousam velle: non enim quisquam somniavit, credenda hæc esse fide divinâ, aut peculiare de his credendis Ecclesiæ præceptum ullum extat. Quoquidem in loco extra rem esse videtur, exclamatio, quam subjicit: cum Gellasius I Apofœticâ lance libranda: *Omnia probate, & quod bonum est, tenete,* reliquerit. Et licet darem, de his credendis, aut necessariò prædicandis præceptum Ecclesiæ dari posse, sequeretur nunquam, Ecclesiam jubere, ut mendacio fides præberetur; quod probabilia, quæ maximè à mendacio distant, tantummodo credenda, aut prædicanda in ea, quam finimus, hypothesi, juberet.

150. Nil roboris, aut majoris firmitatis rationes,

iones, quas in id probandum congerit, superiori affirmationi adjiciunt. Prima est, Ecclesiam punire non posse prædicantem, aut credentem, quæ in Historiis Breviarii leguntur. Quodquidem, uti optimè probat horum Lectionem permissam, & ipsarum rerum credibilitatem rebus fidei, aut morum, præceptis non adversari; ita pro historicâ veritate afferendâ non concludit. Nam pia, & probabilia prædicantes, etiam si in Breviario non sint, Ecclesia non punit, nec punire potest. Quapropter eadem, quæ huic reponas, respondeo. Nihil scilicet pro certâ veritate ex probabilibus solum explicacionibus permisis colligi posse. Venio jam ad Pauli effatum, quod citas: in quo quidem concordes sumus, Sanctum Paulum de re nostrâ propriè non loqui. Accommodari verò eidem non posse, idemmet Apostolus vetat, in his afferens: *Omnia probate, & quod bonum est, tenete.*

151. Ad rationes ex Pontificali Romano petitas titulo de Ordinatione Lectorum, dicendum est primò, non omnia, quæ à Lectoribus leguntur Fide Divinâ, aut humanâ certâ, credibilia esse: nam quædam ab iisdem leguntur, quæ ad probabiles sacræ doctrinæ explicationes, sive morum exempla pertinent. Homiliarum Sanctorum Patrum lectione res constat, & nostræ causæ inde ex superius dictis accommodo. 2. Quædam sunt tan-

tantum credibilia, quæ à Lectoribus leguntur: quædam item tantummodo complebilia opere, quibus juvamur plurimum, ad mores rectè instituendos. Postrema verò prælaudati tituli oratio, quomodo ad rem trahatur, non video. Nec enim dispuo, aut diffiteor, quæ Lectores legunt, ad mores informantos pertinere. Eâdem fortè certitudine gaudebunt quæ in Asceticis libellis legimus ad disciplinam virtutum rectè exequendam? Consequentias denique, quas subinfert, nec ad rem faciunt, neque ex fundamentis ab illô positis inferuntur. Cùm probatum satis sit, plurima in correctis Breviariiis relicta fuisse tantummodo probabilia.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

*CAUSÆ FINALIS, EFFICIENS,
& exemplaris Lectionum Brevia-
rii, earumdem veritatem
non inferunt.*

152. **D**EI cultum, Ecclesiæque utilitatem harum Lectionum finem esse, jure supponimus. At tu, eruditæ vir, ex utroque colligere pergis, easdēm Historias

torias certas esse, & planè indubias. Ex primo itaque capite ita discurris. Deum mendaciis non coli, præterquam quod res est certa, egregiò Jobi loco cap. 13, v. 17, ostenditur, ubi ait patientiæ facile princeps: *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Quam ob rem Deus mendaciis non colitur; sed planè offenditur, & in-honoratur. Liber itaque, quo Deus colitur, omni mendacio carere necesse est; atqui Deus Breviario colitur, non offenditur: omnia ergo, quæ continent, vera sunt: longè ab eodem mendacia sunt rejicienda. Latè verò postquam hæc retulit, contra Natalem, & Tillemontium, cæterosque adventus Divi Jacobi in Hispanias impugnatores, debacchatur.

153. Ex utilitate Breviarii veras pariter, & indubias futuras fore Breviarii Lectiones infert. At priùs Breviarii utilitatem, quam libenter omnes fatemur, probare pergit, 1, ex quodam loco doctissimi Caramuelis, qui est in Theologia regulari num. 3717: ubi faretur ex Breviarii Lectione, & uisu addisci posse Philosophiam, Theologiam, in omni Solemnitate aptè concionari, & Ecclesiasticam Historiam, ac Sanctorum vitas addisci. 2. ex D. Augustino lib. 10 Confessionum cap. 33. ubi ait: *Summè commotum fuisse, audito Ecclesie Mediolanensis cantu.* Iis ita positis adjecit, omnes hujusmodi

modi utilitates evanescere, si vera non sunt, quæ cantantur, cùm ex mendacio nulla utilitas sequi possit. Hoc autem ita exornat. Mendacium ex Paradiso primum hominem ejecit, nullaque conventione cogitari potest Christum inter, & Belial, cùm veritatis Christus, mendacii Diabolus Pater existat. Prædicta verò rursus confirmat. Quod si vel unum mendacium in Breviario existeret, tota ejus autoritas laberetur, & interiret: idem planè tunc illi accideret, quod Sacris Litteris obventurum S. Augustinus putavit, si vel unum mendacium haberent: earum nimirum omnem autoritatem interitaram. Theologos, & Expositores appellat, veritatem hanc prolixius probantes.

154. At hæc longè à re nostra discreta sunt. Multis etiam obnoxia æquivocis, & tricis. Mendaciis Deum non coli, quis negat? planè iis offenditur, & inhonoratur. At mendacium nullum formale in Breviariō reperiri, abundè à me probatum est; licet falsitates aliquas, quas materiales appellamus, contineret. Deum materiali falsitate, coli posse, ex Theologis probatum suppono, si nimirum res bonâ fide credatur, ac sine ullâ culpâ Deum coli ejus exhibitione judicetur. Præterea, opinionibus probabilibus, licet contrariis, & ex op̄ posito invicem differentibus, Deus colitur, cùm harum opinionum usus permissus sit; & tamen mate-

materiale mendacium in alterutra opinione necessariò esse debeat. Latè poteram rem eandem prosequi in Asceticis libellis, quorum usu, & præxi Deus abs dubiò colitur. At hæc ut notiora tam innuo.

155. Quapropter colligo, Deum nullo formal mendaciō in Breviariō coli; sed nego, & per nego idem materialibus mendaciis, & falsitatibus accommodari posse. Quod quidem decretoriō argumentō concludo. Ante correctiones Breviarii à Clemente VIII, & Urbano VIII Pontificibus factas; quinimo ante editum à S. Pio V Breviarium, Deus mendaciis non colebatur in recitatione Lectionum, nunquam enim cultum adeò exitiosum Ecclesia Deo reddidit; atqui plura falsa in anterioribus Breviariis, seu Lectionariis extabant, quæ correctionum beneficiō expuncta sunt: vel Deum itaque cultum mendaciis tunc fuisse, dices, vel accommodas expositiones oppones, quibus & ego uti potero. Sicut enim plura de Deo tradit Theologia, quæ fortassis sunt falsa, iisdemque Deum coli non ambigimus, bonâ fide, voluntate, desiderioque quæcumque sunt Deo digna sentiendi, parili ratione, quæ in Breviario sunt probabilia, aut minùs certa ad Dei cultum pertinere, dicimus: qua quidem in re loquentem superius audivimus doctissimum Geronium. Modus itaque, quo ho-

mines Deum cognoscere ; & colere possunt , cùm certæ rationes non suppetunt, est per probabilia, & verisimilia obsequia, semper certi , semperque securi, Deum plùs affectum , quàm sénium respicere.

156. Utilitatem Breviarii in ordine ad Ecclesiastica officia negabit nemo, qui vel mediocriter res calleat. Attamen Historiarum hinc omnium in eo contentarum veritas non sequitur. Quis juris utilitatem in Ecclesiâ maximam non sentit; & tamen in Legislatorum placitis, quæ falilibus factis nituntur, ut plurimùm consistit. Moralis Theologîæ, Medicinæ, aliarumque similium facultatum utilitatem mundus universus fatetur; & tamen ut plurimùm facultates hæ, tantùm verisimilia secuntur.

157. Caramuelis locum , in quo Theologiam, Philosophiam, Concionatoriam , & Historiam ex solo Breviariô addisci posse, afferuit , miror potius, quàm credo. Neque enim ipsum , neque aliud vidimus ex solo Breviariô severiores has disciplinas didicisse. Viam potius cuperemus, ut nobis ostendisset vir ingeniosissimus , qua hæc præstari possent , ut absque librorum necessariô dispendiô, absque temporis jacturâ, cum maximô pietatis fœnore, omnes adeò facile res tantas possemus addiscere. Sed eodem loco hanc Caramuelis

is promissionem habeo, quo Archimedis promissionem de totius Orbis motu à se faciendo, si extra ipsum Orbem ab aliquo poneretur. Dic ubi consistam, quærebat peritissimus Mathematicus, cœlum, terramque movebo.

158. Nostræ sententiæ authores nunquam ita despiciere, ut Christum cum Belial convénisse aliquando asseruerint: semper verò negarunt hanc conventionem necessariò sequi, si fallitatem materiales in Breviariô aliquas esse affirmaverint. Sed in his expectant, quid respondeatur instantiis superiùs factis. Augustinum fuisse delectatum cantu alterno Ecclesiæ, citatis à te verbis planè constat. Lectiones Breviarii in Ecclesiâ Mediolanensi alterno vocum modulamine non canebantur: legebantur Lectiones ex Scripturis depromptæ, quoniā aliarum usus illis temporibus adhuc non vigebat. D. Augustinus apertè loquitur de Psalmorum cantu. Quod si tibi demus ad Lectionem, sive etiam ad cantum rei non sacræ, commotum fuisse, & emollitum cor ejus; pro re nihil erues, cùm Deus ex tenebris lucem splendescere sæpè faciat, & ex curvis lineis rectam passim eliciat, movendo homines ad bonum miris, sed veris modis, ut idemmet S. Augustinus docuit.

159. Dissimulare etiam non juvat id, quod à viro Theologo involutè nimis exponitur, nul-

lam scilicet ex mendaciis utilitatem colligi posse. Verum quidem est, nullam spiritualem utilitatem ex mendaciō mentienti obvenire posse ; quinimo mentiendum non esse, etiam si totum mundum nostris mendaciis lucrari possemus. Attamen hinc duo constant: 1, mendaciis plurima bona hujus mundi acquiri posse, atque idcirco lex divina restitui jubet propriis dominis, quæ fuerant ex ipsis mendaciis ablata, & deceptionibus. Atque etiam divisio mendacii in officiosum, jocosum, & perniciosum, existit Theologis celeberrima. 2 sequitur, utilitates temporales, & spirituales nonnullas aliis personis à mentiente distinctis sequi posse, ut in pauperibus eleemosynas mendaciis extorquentibus videmus : ex illorum enim dictis moventur fideles ad pietatem, misericordiam, & eleemosynam.

160. Lectionum Breviarii, & Scripturæ non est par ratio. Audivimus Baronium superius asserentem, non sicut Evangelium Lectiones de Sanctis ab Ecclesiâ proponi. Probavimus insuper duabus integris capitibus, earum veritatem ab Ecclesiâ non asseri, & unicè ab eorum authoribus pendere. Hinc colligitur discrimen, cur Scripturarum authoritas periret, si vel unum mendacium in iis esset; authoritatem verò Breviarii Lectionum periire non posse, etiam si plures falsitates materiales contineret. Scripturæ extant, & creduntur solâ Dei

Dei loquentis authoritate; quæ æquè omnes respicit, & firmat: at verò quælibet ex Sanctorum Lectionibus proprio stat authore, aut Actis: cum que hæc diversa longè inter se sint, pereuntibus alicujus Actis, aut authoribus; cæterarum remanere possunt idonea Acta, aut authores.

161. Venio jam ad argumenta, quæ ex efficienti causâ Breviarii elicuit. Postquam enim descripsit, quomodo facta fuerit Breviarii Piani editio, ac correctio, animadvertisit, credi non posse aliqua in Breviariô falsa mansisse, accedente insuper Pontificiâ authoritate, qua fuit collectum. Sed ne eadem repetere cogar, capitibus 5, 6, & 7, abundè satis his factum est.

162. Ab exemplari causâ ita discurrit. Exemplar ab Urbano VIII præ oculis habitum in Breviario emendando, Angelorum Hymnodia fuit, quæ sine intermissione Deum laudant: hanc intuens, removere nævos omnes, & maculas à Breviario conatus est. Purissimum itaque profectò necesse est, Breviarium esse, omnique, vel minimâ carens labe, cujus recitatione Angelos imitamur. In hanc rem laudat 1 Apocalypsis textum cap. 5. v. 8. quo canticum novum Angeli cantare dicuntur. 2 Socrates locum lib. 6. cap. 8. quo alterni cantus author S. Ignatius tertius Antiochiae Episcopus probari solet.

163. Sed

163. Sed enim verò levia hæc sunt; nec tanto authore digna. Æmulantur militantis Ecclesiæ, triumphantis cives; sicut in cantu, ita in virtutibus; sed quoniam hos assequi non possunt, dum in vivis agunt, idcirco, deficiens, & imperfecta tantummodo æmulatio ejusmodi existit: in qua neque errores, aut materiales excluduntur falsitates, si bonâ fide, optimâque voluntate fuerint exhibitæ. At ut verum fatear, de Hymnis Breviarii loquitur Urbanus, & Psalmis, atque hæc comparat cum canticis Angelorum: quò verò hæc? Apocalypsis textus nil aliud addit, quam canticum novum Agno cantatum fuisse: sed probari debuisset ab erudito, ut rem teneat, Canticum ejusmodi, Lectionum de Sanctis exemplar fuisse, vel veritatem earundem aliquâ expressione asserere. Socratis denique textus nec in re admittendus, nec si admittatur, aliud infert, quam ex imitatione Angelorum Psalmorum cantum in Ecclesiâ cœpisse. Quod autem verum non attingat Socrates, cum tribuit Sancto Ignatio Antiocheno alterni, seu antiphonarii cantici initium, peritiores critici asserunt;

Theodoreum sequentes, qui alterni cantus authores facit Flavianum, & Theodorum Monachos Antiochenos.

CAPUT DECIMUM QUINTUM

DE NEGATIVI ARGUMENTI in rebus Historicis valore, & usu.

164.

UT cæteris rationibus ab erudito Sousâ propositis respondeam, apta, & omnino necessaria est præsentis capitinis tractatio : etenim sæpiissime Abnuitivi argumenti vires contemnit. Atque hinc quibusdam argumentis satisfacere conatur. In universum nihili faciendum putat hoc argumenti genus in rebus ad Historiam speciantibus tom. I sec. 6. assert. 44, à fol. 375 ad 436. Inter regulas etiam ad scribendam Historiam sibi propositas, hanc etiam ponere non dubitat. *Nihil ducito argumenta purè negativa.* Non fert animus, omnia, & singula, quæ ibi assert, ad amussum impugnare. Id enim longum nimis, prolixiorisque materia dissertationis ; sed per summa (ut ajunt) capita quædam colligere, quæ illi nauseanti oggeram. Quibus fortasse non displicebit postea negativi argumenti rectè intellecti entelechia.

165. Si res hæc Sousæ regulis ad Historiam præ-

præmissis dijudicanda foret, victoriam ante pugnam latus occinerem. Regula enim undecima ab ipso lata, cūjus etiam superiùs memini, ita statuit: *Ne credito authori, qui ea, quæ afferit, probat argumentis jam dudum solutis, nisi aperte demonstret solutionum vitia.* Nam ea omnia argumenta, quæ citatis locis pro se affert, ex Hercule Commodiano Theophili Raynaudi, & ex Honorato de Sancta Mariâ fere deprompta, soluta etiam sunt tertio tom. Responsionis P. Danielis Papebrochii, quæ à P. Rayero descripta putatur. Digestæ ibi sunt rationes, quibus argumentum negativum impetratur: calumniæ etiam in ipsum latæ, vindicatæ sunt: probata demum ejus vis, & efficacia. Quæ quidem omnia neque exponere dignatur: nescio an bona fide. Ex his itaque, quæ affert laudatus Rayerus, nonnullisque ex mea, licet curtâ, supellectili de promptis, rem breviter, utinam etiam dilucidè, & efficaciter, in medium proferam.

166. Argumenti negativi nomen usurpo pro omissione, seu silentio Authorum, aut Monumentorum, qui rei alicujus non meminere. Difficultas verò eò vertitur, an ex hac omissione, aut silentio affirmare debeamus, rem iis tenebris obolutam, credendam pariter prudenter non esse? Cui difficultati antequam respondeam, quædam præ oculis haberi vellim: 1, per celebrem hanc elap-

fo, & nostro sæculo controversiam extitisse: quam
ibello inscripto *De vi negantis argumenti* dilucidavit.
Launoyus: contra quem eruditè, & acriter (ut il-
lius fert mos) scripsit Theophilus Raynaudus: de-
cujus opere inscripto , *Hercules Commodianus* , &
Launojo-Mastix , hæc P. Joannes Baptista Sole-
rius in opere de Actis Sanctorum ad diem 22 Ju-
lii habet: *In quo præter dicta* (refert ad quædam,
quæ ex aliis retulerat, adventum Sanctæ Magdale-
næ Massiliam spectantia) *non nisi flagra, lora, &*
scuticæ suppeditantur, ad rem illuſtrandum minimè con-
ducentia. Scripsit denuo iterum Launoyus eo anno,
quo mortuus est Theophilus , quædam explicans,
quæ perperam intellecta, præcipuæ dissensionis. cau-
fa fuerant. Celebrior reddita est res eadem , cum
eruditissimus P. Daniel Papebrochius de ulu hujus
argumenti fuit inter alia accusatus : qui diversis
in locis hujus argumenti vires ostendit, præcipue-
que 3. citatâ parte demonstratur. Plurimi etiam
alterutri ex sententiis adhæserunt , & in dies id-
circo celeberrima reddita est hæc controversia.

167. Animadvertere 2. convenit, argumen-
tum negativum à silentiō authorum particulare es-
se posse, & universale. Authorum nomine , etiam
ab eruditis intelliguntur hoc loco monumenta ip-
sa, scripturæ nempe, inscriptiones, nummi, aliaque
id generis. 3, reipicere posse hoc argumentum rei

omissæ existentiam, aut defectum, atque etiam meritum, ut prudenter credatur, vel ut ita rejiciatur, prudentiâ duce. Par est etiam animadvertere, abusu prædicti argumenti sæpe à nonnullis peccari: quos item abusus, ut rejiciendos puto, ita legitimum usum non idcirco reprobandum, colligere legitimè mihi videor.

168. Denique libet etiam supponere, fidem in universum à Philosophis, & Theologis describi, assensum rebus præstitum propter loquentium auctoritatem, interpositumque testimonium. Si Deo loquenti adhibetur fides, divina erit; si homini loquenti credamus, humana fides erit. Utraque si bi idoneum testimonium exposcit, hæc humanum, illa divinum. Quò circa necesse est, ut deficientibus utriusque idoneis testimoniis, labatur undique, & deficiat utraque.

169. Jam verò usus hujus argumenti in Scripturis, Patribus, ac Conciliis respici potest in laudatâ Rayeri dissertatiunculâ. Utuntur eodem argumento Theologi, quibus præit D. Thomas², quæst. 10, art. 12, ubi ita probat, Infidelium filios non esse, invitî Parentibus, baptizandos: *Hoc Ecclesie usus nunquam habuit, quod Iudeorum filii, invitî Parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi*.

Episcopi, ut Silvester Constantino, Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: & ideò periculose videtur hanc assertionem de novo inducere; ut præter consuetudinem, in Ecclesia hactenus observatam, Iudeorum filii, invitis parentibus, baptizentur. Eundem imitantur arguendi modum in similibus passim Theologi. Et quod ad Historicos attinet Baronius sæpiissime eodem plura monstra devicit. Insignis est ejus locus anno 237, quo Cyriacum quemdam è Romanorum Pontificum catalogo delendum ostendit. Bellarminus de Romano Pontifice cap. 24 fabellam de Joanna Papisâ argumento negativâ eliminat.

170. Cardinalis Perronius in vindiciis Gallicis contra Regem Angliæ, Nicephori Calisti quemdam refutat locum, & contemnendum putat, ut fabulosum, argumenti negativi nixus viribus lib. i. cap. 44. Cardinalis Bona de Rebus liturgicis cap. ii, inter argumenta, quæ colligit ad probandum Officium Musarabe non esse S. Isidori Hispalensis opus, silentium Braulionis, & Ildephonsi enumerat. Mitto Cardinales Sfrondatum, de Lauræa, & eruditissimos Tillemontium, Vallet, egregium locum Natalis de Alessandro, ab aliis etiam exhibitum, contentus referendi. Quærerit, an S. Dominicus inter Scriptores Ecclesiasticos sit annumeradus? Refert, ipsi attri-

butos duos contra Albigenses libellos ab Antoni-
no Senensi, atque etiam ab eodem, Possevino, &
Malvenda eidem tribui Commentarios in Epistolas
S. Pauli, in Epistolas Canonicas, Psalterium, Evan-
gelium S. Matthæi, & Apocalypsim. Jam verò ad-
dit: sed cùm nemo antiquorum, qui Acta S. Dominici
scripserunt, hujusmodi operum meminerit, nec ullibi in-
veniantur, ipsum nihil hujusmodi scriptissime existimo: :::
Petrus Galatinus lib. 6. Arcanorum Catholicæ verita-
tis cap. 5. Canisius lib. 1. de Virgine cap. 7. Suarez
tom. 2. in 3. part. S. Thomæ disp. 3. Sess. 5. & alii,
cùm de immaculata Deiparæ Conceptione differunt, lau-
dant S. Dominicum in tractatu de Corpore Christi di-
centem: Sicut Primus Adam fuit ex terra virgine, &
numquàm maledicta formatus, ita decuit in secundo
Adam fieri. At (inquit Malvenda) cùm istius operis
editi à S. Dominico nec Vincentius Bellovacensis, nec
Humbertus, nec Theodoricus, nec S. Antoninus, neque
alii rerum ejus Scriptores meminerint suspicamur alte-
rius potius fuisse Scriptoris. Eodem argumento uti mi-
hi liceat adversus Malvendam alia S. Dominici opera
laudantem. Næ stupendam sanè Ordinis nostri hominum
incuriam, qui SS. Patriarchæ opera perire permisissent!

171. Nec me latet, eundem Natalem pri-
mo Ecclesiæ sæculo in Dissertationibus in quibus Pro-
vincialibus suas traditiones de Adventu Sanctarum
Magdalenæ, & Marthæ, nec non S. Lazari, & S. Ma-
ximini,

ximini, vendicat, argumenta negativa parùm ducere: sed hæc dicta ab eodem sunt, vel ex aliorum opinione, vel ex disputationis ardore, quo prædicta defendit, aut denique, si accipere eadem vellis in veritate, & crisis rigore, hanc eandem sententiam mutasse asseverabis. Nam ea, quæ protuli, multo post tempore scripta sunt; cum doctior, & peritior in his rebus factus, pluris habuit argumenti negativi vires, quam amorem, & benevolentiam, quam maximam suo Parenti, & Patriarchæ S. Dominico profitebatur.

172. Jam verò asserendum esse imprimis existimo, argumenti negativi vires rei existentiam, aut non existentiam non modò non concludere, sed nequidem respicere. Separantur de facto rerum existentiæ ab earum scriptionibus; quinimum plurima extitere, quæ nunquam scripta sunt, & quam plurima scripta invenimus planè conficta. Argumentum itaque nullum est silentium, qualcumque consideres, ad rerum existentiam, aut non existentiam, ab antiquis oblitas, aut omissas ritè probandas. Quemadmodum ex defectu, aut silentio Divinæ locutionis non infertur, rem, de cuius revelatione non existit memoria, nunquam in rerum naturâ extitisse: quæ quidem aliis principiis parere, & probari posset. Hinc quam plurima argumenta despicientium Abnutili argumenti vires

ad

ad rem non facere, convincuntur; cùm nemo fānæ mentis existimare potuerit, existentiam , aut non existentiam factorum , ex silentiō , aut omis-
sione colligi jure posse.

173. Abnutivum itaque argumentum pru-
dentem rei credibilitatem tantūm conficit. Cùm
enim ad humanam fidem (ut jam dictum est)
testimonium idoneum humanæ fidei requiratur;
nullamque hujusmodi cogitari possit, silentibus au-
thoribus, & monumentis, quotquot existunt; pru-
dens assensus iisdem præstari etiam nequit, leviter-
que , ac planè temerè crēduntur quæcumque , nullo
idoneo testimonio fulta, admittuntur. Atque idcir-
co cùm prudenter etiam negentur ad humanam
fidem pertinere, quæ proprio , & peculiari carent
motivō; ideo rotundè , & jure optimō negantur
ea omnia, quibus argumenti N.gativi vires appli-
cari possunt.

174. Argumentum à silentiō authorum;
aut monumentorum petitum , particolare esse po-
test, & universale. Cùm particolare est , ut pluri-
mūm non concludit : cùm unius authoris , aut
monumenti silentium , testimoniis , & locutioni-
bus aliorum planè infringatur. De silentiō particu-
lari loquuntur laudati ab eruditissimo Sousâ S.
Hieronymus, Baronius , & Pagius , videndi ab iis,
quibus major horum cura sit. De eodem loquitur
Bellar-

Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 8:
 atque hæc argumenta ex particulari silentio nihil
 concludere asseverat. Plures tamen casus reperies,
 in quibus etiam particulare silentium efficax est,
 aliis circumstantiis, & adminiculis roboratum.
 Quos tamen non est hujus loci in medium pro-
 ferre; cum hinc argumentum negativum, suas vi-
 res non accipiat.

175. Silentium universale authorum, &
 monumentorum efficacissimum in re historicâ ar-
 gumentum est, & ut mihi videtur, planè evidens.
 Contingentia etenim facta nisi in monumentis,
 aut authoribus fuerint notata, nullam alibi sui me-
 moriam relinquere potuerunt: atque eâ de causâ,
 cum Historiæ omnes ex prædictis memoriis tan-
 tummodo coalescant, manifestum est, ubi nullæ
 hujusmodi existunt memoriæ, nullam pariter His-
 toriam haberi etiam posse. Hoc igitur sensu si ar-
 gumentum negativum accipias, eodem modo illo
 uteris, ac laudati à me authores illud adhibent.
 Notari verò vellem, in rebus facta contingentia
 historica spectantibus, vix aliud argumentum esse,
 quo res peritiori criteriō discerni possint. Atque
 de his præcipue me loqui in totius capitilis progres-
 su intelliġi etiam vellim. Quo quidem locis non
 nullis D. Augustini, quos eruditus Sousa expendit,
 satisfecisse mihi video. Cùm ea, de quibus S. Doct.

agit,

agit, historica facta non sint nudata aliis rationum fulcimentis, quibus earum veritas potiore fortassis jure dilucidari deberet.

176. Prædictum denique argumentum negativum (ut explicatum est) ad plures Logicæ regulas reduci potest. Inter Philosophos constans est sententia, à causæ negatione valere ad negationem effectus: item à defectu motivi ad defectum actus tali motivo necessariò specificandi. Jam verò cum fidei humanæ causa, sit idoneum testimonium, ab ejus defectu, planè constante, supposito argumen-to negativo universali, necessariò sequitur fidei humanæ defectus. Rursus, cùm motivum fidem humanam prudentem specificans, sit idoneum, & prudens humanæ fidei testimonium; eodem non existente, etiam non existet prudens fidei humanæ assensus, imò nec cogitari poterit. Docent etiam Logici, quod si antecedens aliquod est necessarium, & unicum ad aliquam consequentiam, deficiente, aut non existente antecedente, eadem consequen-tia fluere non posset. Atqui antecedens necessarium, & unicum ad fidem humanam est idoneum tes-timonium: itaque illo deficiente, pariter hæc deficit. Occurrabant plures alii modi, quibus ad re-gulas Logicæ reduci etiam poterat argumentum Abnutivum universale: sed relinquendas has tricas Logicis duxi, ne tædio, & spinis Lectores affice-rem.

177. Hæ sunt vires negativi argumenti in universum considerati; sed est alia ejus fax , alias aspectus, Historica proprius respiciens: cùm nimirum ex coævorum authorum , aut monumentorum, vel ex ferè synchronorum omissione, aut silentiō eruitur. Qua quidem consideratione summè displicet eruditio Soufæ , atque ejus sententiæ patronis. Quos ferè omnes animadverti, ea defendenda suscepisse, quæ aliter stare non possunt; vel nimiæ credulitati deditos intellexi. Sed (ut verum fatear) easdem vires negativum argumentum ex omnium coævorum silentiō habere, nemo prudens negabit. Contingentia etenim facta , quæ alicubi accidunt, aliter ad posteriorum memoriam conservari non possunt, nisi ut vel ab iis, à quibus visa sunt, planèque admirata, scriptis fuerint consignata; vel ab aliis, qui licet ea non viderint ; tamen ad illos usque servata est integra rerum memoria, absque illius falsitatis admixtione. Jam verò , cùm rerum natura id ferat, ut parvo tempore veritas servari possit absque falsitatis fucō , additionibus, aut diminutionibus, quibus vix jam veritas à falsitate potest distingui , ea propter coævis tantum, aut ferè coævis , si de eorum veracitate dubitare non liceat, fides integra, & religiosa solummodo tribuenda est. Cùm verò temporum injuriâ de re, circa quam disputatur, authores coævi , aut ferè

coævi perierint, antiquioribus, & peritioribus pri-
mas damus: non quia eandem certitudinē horum
dicta pariant; sed quia meliora non habentibus,
hæc optima, & maximè suscipienda relinquuntur.
Itaque, cum hæc sint idonea fidei humanæ testi-
monia, quibus Historica certitudo comparatur; iis
omnibus deffficientibus, nulla certitudo Historica
haberi potest. Huc revocanda sunt, quæcumque
superiùs diximus ad argumenti negativi vires in
universum explicandas.

178. Hanc regulam in Historicis ab An-
nalium Parente adhibere dedici: qui sæpe sæpius
pronuntiat, *quod à recentiore authore de rebus anti-*
quis sine alicujus vetustioris authoritate profertur, con-
temnitur. Rationem verò exposuit Doctissimus
Melchior Cano lib. 11 de locis cap. 6. ubi ita lo-
quitur: *Lepra Constantiū laborassē apud idoneos au-*
thores nunquam legi::: citat Cajetanum eadem sen-
tientem, atque ita prosequitur: Habet hic Scriptores
omnes hujus ætatis, qui tacuerunt; non omissūri, si sci-
vissent, scituri omnino rem, si fuisset. Universale ita-
que æqualium, aut ferè æqualium silentium efficit, ac
concludit, ut res memoriâ digna, ab ipsis non
notata, prudentissimè non fuisse credatur. Ignora-
ri enim non potuisset ab omnibus æqualibus, aut
ferè æqualibus, si re verâ fuisset. Quod si ignora-
ta non fuit, scriptis etiam fuisset consignata. Sed
tamen

tamen sive obliuione eos fugerit, sive quia ad rem, de qua tractabant, minimè pertinere, putaverunt, atque idcirco omisserunt, ex illis profectò rebus erit, quibus fortuna adversa nocuit: atque idcirco obscuritate obvolutæ, posteriorum etiam memoriā fugiunt.

179. Sed tamen plurima repones, quibus dilucidari magis, non infringi argumenti negati- vi vires ostendam. I, quæ in recentioribus inve- nimus, de quibus pares, vel ferè suppare, aut an- tiquiores siluerunt, ex propriô desumpta capite quis credat? Eruerunt itaque illa ex extantibus tunc antiquis monumentis, aut authoribus, quæ modò non extant. Fidem itaque etiam certam faciunt recentiores, cùm de rebus antiquis sine veteribus authoribus loquuntur. Sed antequam, amabo te, argumentum concludas, convenire mecum in eo debes: à primis Ecclesiæ sæculis nebulones semper extitisse, qui sive optimorum authorum, etiam Canonicorum, larvati nominibus, sive Anonymi, quām plurimas fabellas venditarunt, atque etiam hæreticos innumeros ejus fuisse generis, qui non modò Sacros corrumpere libros, sed proprios etiam effingere, ad peculiaria confirmanda dogmata, ve- riti non sunt. Horum plura simplicium animis credita sunt: plurima etiam hujus generis consig- nata scriptis. Innumera denique conficta sunt ab

ignotis hominibus: nonnulla (ut nec hoc omit-
tam) à superstitionis Catholicis falsæ pietatis zelô
deprompta, omnes agnoscunt. Ex quibus omni-
bus, rudis adeò, indigestaque factorum moles ef-
fecta est, ut nisi ad expositam negativi argumen-
ti regulam recurras, innumera sint tibi absurdâ
deglutienda.

180, Ex proprio itaque desumpta capite, à
recentioribus ea descripta esse, quæ coævi silue-
runt, in universum non affirmo. Plurima verò
ab ipsis, sive monumenta, sive authorum narra-
tiones, quæ non extant, bonâ fide credita fuisse,
mihi persuadeo. Hæc tamen, cùm de quolibet au-
thore agimus, illum cum rebus antiquis conferen-
tes, peculiaribus notationibus adstringuntur: quæ
cùm generalia non sint, aliena ab hōc locō existunt.
Utinam, inquam, omni tempore ars floruisse cri-
tica, omnesque Historiarum Scriptores illam fuis-
sent sequuti. Utinam maximâ diligentia notata ab
omnibus præterita facta fuissent: credere tunc cer-
tò possemus, quæcumque à recentioribus de novo
allata, antiquis non caruisse fundamentis. Sed non
ita res se habuit. Atque idcirco, ex quo bonæ ar-
tes his sæculis coli ceptæ sunt, nulla aptior regula
ad antiqua tractanda superfuit, quàm ut ea, quo-
rum meminere antiqui, plurimi fiant; cætera ut
incerta inter vulgi rumores reponantur. Notari
deni-

denique juvat, quædam esse ex iis, quæ protulere antiqui, facile fluentia rationis lumine, aliarumque artium cognitionibus, quibus Historia utitur. Ex his fontibus Historicæ conjecturæ, & rationes oriuntur, quibus mirum est, quantum Historiæ dilucidentur, si tamen proprium cuilibet pondus, æstimatio, & assensus tribuantur.

181. Reponunt 2, argumento negativō traditiones Historicas profligari. Cùm verò hæ Historias omnes componant, argumentum negativum illis adversum exiufflari debet. De traditionibus me loqui tantummodo Historicis profiteor, quæ universales ut plurimum non sunt, & ad liberas traditiones spectant. Quocirca miror innumeros Patrum textus hoc loco à Recentioribus afferri, qui de traditionibus Apostolicis, aut Ecclesiasticis ad fidem, vel mores pertinentibus loquuntur.

182. Tale est hominum ingenium: adeò res diverso modo concipimus. Nullo enim ex inventis hactenus argumentis clariùs veras soveri, & ostendi traditiones, existimo, quàm argumenti negativi hactenus expositi assertione, & utu. Traditiones enim semel loquutæ sunt: amplius vocem non habent: ut peritissimus Theologus Gregorius de Valencia animadvertis. Atque idcirco cum reliquis Theologis & ipsas traditiones probare necesse esse, etiam afferuit: quod re verâ non aliò modò

modò præstatur; nisi percurrendo authores, qui
 singulis floruerè sæculis, atque ex iis ostendendo,
 rem ex principio, quod illi tribuitur, ad nos us-
 que nullâ interruptâ serie pervenisse. Regulæ verò,
 ab ipso Gregoriô de Valencia, & Bellarmino ad
 traditiones Apostolicas probandas traditæ, Histori-
 cis non congruunt: quæ non alio probantur mo-
 do, nisi ostendatur, à tempore, quo fuisse afferun-
 tur, in authoribus memoratas, aut monumentis
 idoneis inveniantur. Peculiares itaque traditiones
 Urbium, Regnum, & Provinciarum improbatas
 recipere, vetat eruditus Sousa: quorum prima re-
 gula in iis admittendis ex Honorato de Sancta
 Maria hæc træditur: *Traditio pia nulla sine proba-
 tione materiæ consentanea recipiatur.* Quæ autem pro-
 batio in rebus Historicis haberi potest, quæ ex au-
 thoribus, aut monumentis idoneis non eruatur?
 Ita cùm nulla ejusmodi monumenta, aut authores
 suppetunt, ex argumenti negativi usu planè talis
 traditio sine probatione admitteretur, hoc est, le-
 viter, ac sine ratione. Quocirca argumentum ne-
 gativum criterium est, quo veræ traditiones à po-
 pularibus, & incertis rumoribus secernuntur. For-
 nax est, in quo aurum veritatis à cæteris inferiori-
 bus metallis separatur. Adeò verò recepta est hæc
 discurrendi methodus, traditionibus applicata, ut
 P. Joannes Baptista Solerius, eruditissimus nostri
 sæculi

sæculi vir, in opere de Actis Sanctorum tom. 5.
Iulii ad diem 22. in vita Sanctæ Magdalenæ
num. 107. ita loquatur: *Non opinor, eo, quo vivi-
mus sæculo cordatum quemquam repertum iri, qui tra-
ditionem aliquam simpliciter admiserit sæculo septimo
inchoatam, cuius nimirum per tot ante sæcula, nec vo-
la, nec vestigium apparuerit.* Traditiones denique,
quæ hujus argumenti viribus non resistunt, estò
traditiones appelles, erunt tamen vulgi traditiones
incertæ, nullâque veritate constare, prudenter judi-
cari potest, humanæ rationis attentis principiis.

183. Reponunt 3 argumentum negativum
Hæreticis familiare esse, illo maximè delectari, at-
que iisdem placere plurimum: quinimo Clavam
esse Herculeam, qua plurimæ Religionis nostræ
veritates impetuntur. Quapropter rejiciendum
omnino, nec in rationum censu à viris eruditis
numerandum est.

184. At hæreticorum hominum ingenium,
& prava indoles, quibus non abutuntur? Infausta
essent, & flocci facienda argumenta negativa, si &
ipsa despicerent. Verbo Dei abutebantur Luthe-
rani, blasphemantes, ex ipso prava eorum dogmata
fuisse deprompta. Et quis fuit unquam Hæreticus,
qui ad sua stabilienda dogmata, Scripturis non
abuteretur? Testes appello Arium, Macedonium,
Paulum, Nestorium, Pelagium, & quotquot hujus
gene-

generis sunt monstra. Nunquid propterea Verbum Dei, argumentum Hæretorum, Hæreticis placere, aut Clavam Herculis Commodiani dicemus? Abusum reprobabimus; optimum verò usum Scripturarum ex iisdem factis, prudentes statuemus. Quid, amabo te, nostri temporis hæreticis Jansenistis vocibus, & scriptis magis decantatum inveniatur, quam Augustini, & Thomæ authoritates? Se eadem sentire, ajunt, & propterea justæ damnationi non subjacuisse. Iis verò credes? Iis fidem præstabis? non existimo. In iis itaque, & similibus Ovidianum illud instar regulæ, non modò politioris elocutionis, sed prudentiæ exactissimæ semper habui:

*Et latro, & cautus præcingitur ense viator,
Ille, sed insidias, hic sibi portat, opem.
Nil prodest, quod non ladedere possit idem.*

185. Satis hæc ad argumenti vires infringendas esse putabam: sed potiora etiam addere juvat. I enim argumentum negativum (ut à nobis explicatum manet) in Sacris Literis est usui, & tanquam regula traditur ad ea explodenda, quæ ut fidei Divinæ à Pseudoprophetis venditabantur. Ezechielis enim cap. 13 v. 7 falsos Prophetas Deus reprehendit ex proprio prophetantes cerebro: quibus

quibus ne credatur; adjicit: *Dicunt ait Dominus, cum Dominus non sit loquutus.* Ex Dei ergo silentio, ex omissione locutionis collegit jure Ezechiel, ipsi non esse Fide Divinâ credendum. Et rectè quidem: omnium enim Prophetarum voces ut populorum fidem elicerent, hæ sunt: *Verbum Domini: ait Dominus: hæc dicit Dominus.* Ex hoc itaque defectu, ex hoc silentio nos docuere Prophetæ, credendum non esse Fide Divinâ, quod illo constaret obvolutum esse. Quinimo S. Paulus ad Colossenses pulcherrimo præstringit textu, quæ hactenus dixi, ita ajens: *Si Angelus evangelizet vobis, præterquam quod evangelizatum est à me; anathema sit.* Ubi solam doctrinæ novitatem idoneum existimat ad non credendum, motivum, & argumentum. Ad Hebræos cap. 13. eadem confirmat, ita afferens: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Ubi proprietatem hæresis inseparabilem esse docuit, quod extranea, abhorrens, & inaudita sit in scholâ veritatis.

186. Venio jam ad Patres, quorum omnia exponere testimonia, rem, de qua loquimur, concludentia, non vacat. Aliqua vero tantum in medium proferam. S. Irenæus lib. 3 adversus hæreses cap. 19. argumento negativo non modò eliminat errorem Cerinthi; sed quod nostra interest, proprias hujus argumenti vires ostendit. His verbis

differit: Etenim, potuerunt dicere Apostoli Christum descendisse in Jesum. Sed nihil quidem tale neque scierunt, neque dixerunt: si enim scissent, dixissent utique. Quod autem erat, & hoc dixerunt, Spiritum Dei sicut columbam descendisse in eum, hunc Spiritum de quo ab Esaiā dictum est: & requiescat super eum Spiritus Dei, &c. Tertullianus de præscriptionibus cap. 6. textum D. Pauli ad Colossenses superius expositum ita dilucidat. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt. Itaque, si Angelus de Cœlo aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis. Clarius exponit argumenti negativi vires, & usum S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium. *Quisquis assertor est novorum dogmatum, quæso te, ut parcas humanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est.* Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? Usque in hanc diem sine vestrâ ista doctrina Christianus mundus fuit. Et Commentario in caput 6 Isaiæ probat argumento negativo, corruptum non fuisse tempore Christi Domini à Judæis Textum Hebraicum, his verbis: *Nunquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Phariseis, de hoc crimine quod erat maximum, reticuissent.*

187. Addere juvat 2, nunquam Hæreticos
uti

uti jure posse argumento negativo universali , sive
 in materiâ fidei , sive morum. Nunquam enim
 reperiri contingit, aliqua à nobis credi, aut teneri
 moribus, quæ per idonea venerandæ antiquitatis
 testimonia à nobis probata non fuerint usq; ad abun-
 dantiam, usq; ad satietatem, & hōc argumentorum ge-
 nere ex suis originibus , & principiis planè con-
 victa non ostendantur : nullo etiam puto
 fortiori argumento hæresum novitates profligari,
 quam argumenti negativi rectō usu. Quis enim
 Hæreticorum error fuit unquam, quem Clava hæc
 verè Herculea non ostendat novitium , veramque
 novitatem esse : Quo argumentorum genere au-
 reum Vincentii Lirinensis opusculum de præf-
 cryptionibus Hæreticorum hæreses omnes eliminat.
 Ubi cap. 12. ita ait : *Sequenda est antiquitas , explo-
 denda est novitas : quæ ex Patrum silentiō , & Doc-
 torum in rebus credendis detegitur.* Quibus om-
 nibus probasse mihi videor, ab Scripturis , & Pa-
 tribus argumenti negativi adhiberi usum : ut licet
 sibi blandiantur Hæretici de abusu negativi argu-
 menti; non proinde rectus ejus usus amandandus
 sit longè à Catholicis Concertationibus. Puto ita
 statues, cùm plurimæ hinc, non modò in verita-
 tibus fidei tractandis, utilitates deriventur; sed etiam
 quoad Historiam attinet, utilissimum, necessarium,
 & utrâque versandum manu argumentum existat.

188. Reponunt 4; reddi suspectam Historiam veteris Testamenti, si usus argumenti negati-
vi admittatur: Historiam inquam, quæ in sacris non
est notata Literis. Verùm tamen, quodnam est
absurdum, dilucidè, & sine tergiversatione afferere,
non esse Historiam veteris Testamenti, quam in
veteri Testamento scriptam non esse, fatemur?
Quod si Historiam veteris Testamenti eam intel-
ligas, qua vel suppletur, vel elucidatur, quæ scripta
reperitur in Libris Sacris, nimis impropiè loque-
ris. Hanc verò suspectam habebimus, si vel à Ra-
binis, vel à suspectis aliis authoribus fuerit collec-
ta. Josephi Historiam etiam infers futuram in-
utilem, si argumentum negativum statuatur. Quà
quidem in re animadverto, te de ejus Antiquita-
tibus Judaicis planè loqui: nam librum de Bello
Judaico ex iis, quæ suo tempore vidit, aut scire
potuit, composuit. Jam verò de Josephi authorita-
te in libris Antiquitatum Judaicarum non una est
Eruditorum opinio. Autumant plurimi, virum esse
exiguæ authoritatis, mendaciisque fuisse delecta-
tum. Atque hos inter Baronium enumera, æqui-
vocationes, & Josephi errata tom. I. pluribus no-
tantem. Nec prætermitte Salianum, ex quo volu-
men integrum confidere potes errorum Josephi.
Alii verò maximi faciunt quæcumque Josephus
scripsit: & non modò illum sequendum in om-
nibus

nibus, existimant; sed venerantur; & exosculant quæcumque in illo invenerint: ejus dicta tanquam è tripode accepta referentes. Ego verò cum aliis optimæ crisiſ authoribus ſic de hiſce Antiquitatum libris statuendum, existimo. Ea nempè, in quibus conſona Scripturæ referuntur, ut indubia accipienda ſunt, & credenda: quæ verò ex ejus dictis Scripturæ repugnant, contemnenda ſunt: quæ denique præter Scripturam habet, recipienda ſunt iis fundamentis, quibus ea ſtabilire conatur; ſi nimirum cætera antiquitatis monumenta non repugnant; ſi nitatur (ut in plurimis accidere illi ſolet) alio antiquiore authore, aut traditione, ſuo tempore planè conſante. In his equidem utilis eſt Josephi lectio: utilissima verò, cum conſonant ejus dicta Scripturæ. Ita enim Gentilibus, & Atheis offenditur ex authoribus Catholicæ Religioni adverſis, & ex ejus hostibus, veritas ubique patens, ubique conſtant.

189. At hæc omnia licet prætereamus, & Josephi ſummam in dicendo authoritatem habeamus, contra argumentum negativum concluditur nihil. Suprà enim meminimus, eisdem privilegiis, & prærogativis gaudere antiquissimos cujuscumque Historiæ tractatores, ac ſibi vendicant authores coævi, & synchroni pro his caſibus, in quibus authores æquales, aut ferè æquales fruſtrà queruntur.

tur. Cùm itaque ad antiquitates Judaicas cognoscendas, præter ea, quæ in Sacris Literis extant, antiquiorem nullum, aut peritiores Josepho authorem invenire possimus, qui suas antiquitates ex authoribus tunc extantibus, ut propriis refert locis, collegerit; eâ de causâ suspecta minimè habetur ejus Historia. Nec ignorare iis temporibus quemquam eruditum, puto, supposititia habita fuisse Josephi opera à nostri sæculi erudito P. Harduino, editâ de hac re doctissimâ lucubratione. Cui licet non assentiamur, præ oculis habenda est, ut utilitatem Josephi operum adeò magnam non esse, sentiamus.

190. Intulit etiam eruditus Sousa inutiles habendos esse labores Saliani, Tornellii, & Alexandri, si argumentum à silentio coævorum vires habeat ad veritatem confirmandam. Ego verò nescio quo pactô, si negentur, quæ à coævis, à ferè coævis, aut antiquioribus non sunt scripta, sequuntur, ut laudatorum authorum lectio esset inutilis, Operâ frustranea. Nam dato, quod assumit; licet verum id minimè, utilissima essent ejusmodi opera. Nam 1, sacram Historiam per tempora digestam, sacrorum Librorum operâ adjuti, in prædictis operibus habemus. 2, quæ Josephus in Antiquitatibus protulit, & ex schola Rabinorum si quæ adhuc sunt, examinant, quæ congrua sunt, admittunt, atque

arque his supplant omissa ab Scripturâ ; quæ illi non sunt confona, planè respuunt; quæ apparente repugnant, elucidant. Demum antiquos Historicos, qui Monarchiarum collegere Historias, addunt majoris ergo elucidationis. Quibus quidem in rebus scopus omnium, & maximus labor in eo collocatur, ut ostendant, maximam esse conventionem Historiam inter Sacram, & Profanam. Maxima hinc utilitas, honestas, & necessitas studiorum, & laborum, quæ hactenus sumus contemplati. Neque tamen omnia, quæ ab ipsis afferuntur ad gravissimas difficultates, quæ ibi occurunt, enucleandas, certa sunt: sectanturque, ut omnibus usuvenit, verisimilia, cùm certa non suppetant.

Cætera, quæ dispersa in eruditî Sousæ operibus ad argumentum negativum exsufflandum reperiuntur, leviora sunt, quæque ex dictis hactenus quilibet prudens solvat. Quapropter ad cætera eruditî argumenta solvenda pergo.



CAPUT DECIMUM SEXTUM.

*SOLUTIONIBUS, QUIBUS NOSTRA ARGUMENTA INFRINGERE NITITUR,
SUAM ASSERTIONEM NON ELUCIDAT.*

191.

Diminutè sanè eruditus Sousa , & pene cursim graviora nostræ sententiæ argumenta proposuit, & solvit. Illa tamen, quæ innuit, aut non soluta esse, aut majoris rationis nixu intorqueri in ipsum posse, probare incipio. I argumentum , quod sibi dissolvendum proposuit , ita formatum in illo existit. Origo Historiarum in Breviariō contentarum obscura est : non itaque dignæ sunt fide. Antecedens ex eo liquet , quod ex authoribus incognitis, Anonymis scilicet , aut Pseudonymis sunt depromptæ. Huic argumento ita respondet. Negat , indigna esse fide humanâ, quæ ex Anonymis, aut Pseudonymis constat suis-^m ie deprompta, atque id adeò verum esse , ut m verius haberi possit: perdidisse aliâs oleum, & operam fatendum esse quotquot in illustrandis Anonymis,

rvmis, aut Pseudonymis, navarunt operam. Atque hos inter numerandos Baronium, Heribertum, Bollandum, Henschenium, Papebrochium, & inter Protestantes Vincentium Placidum, qui Theatrum Anonymorum, & Pseudonymorum scripsit. Quapropter addit, auream sententiam authoris librorum de imitatione Christi rem dirimere, quæ ait: *Non te offendat authoritas scribentis, utrum parvæ, aut magnæ literaturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum: non quæras, quis hoc dixerit, sed quid dicatur, attende.* Demum; ita concludit, digniores fide humanâ esse Anonymos Scriptores antiquos, qui, propriâ contemptâ gloriâ, suum celavere nomen, cognitis, & notis authoribus, qui nonnunquam posito nomine gloriolæ servierunt.

192. Si majorem fidem scriptis confert authorum celare nomen, cur eam fidem tribui non vis, erudite Sousa, egregiis operibus, quæ hactenus scripsisti? Cur edi libros prohibetur sine authorum nomine? At Anonymos testes omnis lex ridet. Antiqua Sanctorum Acta duplici animi consideratione respici possunt. 1, ut sunt quædam antiquitatis monumenta. 2, ut sunt peculiaris, & noti authoris opus. Jam verò Anonyma, & Pseudonyma tanquam quædam antiquitatis Acta solummodo reputantur. In quibus si tempus, quo scripta

fuerunt, constet, si nullatenus sint de falsitate su-
pecta, optima argumenta præbere possunt ad eam,
pro quibus sufficientem habent, antiquitatem pro-
bandam. Cæterum, si nomina etiam haberent pro-
batorum insimul, & antiquorum authorum, dupli-
ci titulo non modò credi, sed certitudinem effice-
re possent, propter authoris nempe autoritatem,
& propter constantem operis antiquitatem. Eâ de
causâ non modò laude dignus, sed necessarius pla-
nè labor putandus est, à Heriberto, Papebrochio,
Henscheniô, aliisque impensis in Anonymis, &
Pseudonymis secernendis. In hoc laborant cæteri
præclarissimi Operis Continuatores. Horum pecu-
liaris hæc provincia, cum Literatorum Reipublicæ
promiserint, omnia exhibere, quibus Sanctorum
Acta possent quomodolibet dilucidari. Quod qui-
dem, additô judicio de singulorum veritate, sup-
positione, aut interpolatione, perficiunt. Sed quid
hæc ad rem nostram? Anonyma, & Pseudonyma,
si quæ in Breviario modò sunt, eam autoritatem
habebunt, quæ antiquitas talium Actorum exere-
bitur: si aliundè non constet de illorum supposi-
tione, aut falsitate. Et re verâ nunquam tale ar-
gumentum pro meâ sententiâ proposui; neque in
hoc vires sententiæ nostræ consistere, jam ostendit.

193. Aureum Gersonis dictum, sive cujus-
que sit liber de Imitatione Christi, ad rem mini-

ne trahi potest; loquitur enim de iis rebus, quæ ex authoritate non pendent, quæ in se propriam habent veritatem, & nobis sine respectu ad hominum dicta manifestari possunt. Verum sunt & alia, de quibus modo inter nos est sermo, contingentia facta. Horum cognitio hominum dictis tantummodo acquiri potest: humana ab authoritate unicè pendent. In his primum considerari debet, quis loquatur. Quoniam verò fide humanâ credere non tenemur improbabilia loquenti, etiam facta ipsa pendenda sunt: at loquentis authoritas præcognoscenda. Denique aureum Gersonis dictum non alio modo intelligi posse, illud convincit, quod in his, quæ ad divinam fidem pertinent, Dei loquentis authoritas unicè sit consideranda. Quapropter cum dictis Dei attendere animam monet, illud Moysis alibi usurpat: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

194. Utrum verò Anonyma, aut Pseudonyma majorem mereantur fidem, & authoritate illustriori gaudeant, quam noti, & probatæ fidei authores, nullius quæstionis materiam mihi esse videtur. Si enim cætera sint paria, & Anonyma cum notis authoribus conferas; hæc illis præstantiora esse, majorisque authoritatis, indubium est: cum præter constantis antiquitatis testimonium, notâ authoris attestatione firmentur, evidensque

sit planè duo plura esse, quam unum. Servisse a quando gloriolæ nominatos authores, res est ad veritatem Historicam impertinens; dummodò aliàs constet, novisse res, de quibus agunt, & quæ noverant, bonâ pariter fide scripsisse. Fieri potuit, ut optimæ notæ Scriptores latere voluerint, celato eorum nomine in operibus, quæ ad publicam utilitatem conscripserunt; sed plures his, prioribus extitêre sacerulis, sive hæretici, sive superstitione pietatis Catholici, qui plura falsa de vitis Sanctorum Anonymis, & Pseudonymis libellis vulgaverunt. Qua quidem in re laudatur optimè Decretum Gellasii, & Canon Concilii Trullani 63, veritatem hanc ad evidentiam usque probantia.

195. Secundum, quod solvendum sibi proposuit, argumentum, iis verbis concepit. Authores, ex quibus erutæ sunt Sanctorum vitæ, quas in Breviariis legimus, ipsis Sanctis recentiores sunt itaque indigni sunt fide juxta Criticorum placitum, asserentium, nihil certò de rebus antiquis credi posse, nisi à veteribus pariter authoribus idem fuerit scripto mandatum. Huic reposuit difficultati, ostendisse se aliàs laudati principii falsitatem. addit, Dñum Papebrochio reposuisse in *Vindiciis Breviarii, & Martylogii adversus Papebrochium pag.* 83. his verbis: Respondet Avitus Viennensis de laudibus Virginitatis lib. 6. *Eugeniam Virginem, & Marty-*

Martyrem ubique terrarum suo tempore fuisse celeberrimam, nullam tamen de ejus laudibus Homiliam apud Patres occurrere, nullam de S. Thecla Martyrum antisignana, nullam de S. Sixto Episcopo; probatque latius Ruinart, in præf. fol. 22.

196. Misum fieri poterat totum hoc argumentum, cùm nec illò usi simus, nec eodem indigeamus ad probatam sententiam ulteriùs stabilendam, præcedentique cap. maneat expositum argumenti negativi pondus, eruditique Sousæ argumenta ibidem sint soluta. Hic tantummodo notari vellim, in rebus Historicis non phisicam, sed moralem certitudinem inquire : quæ quidem per allegatos testes acquiritur. Quod si idonei testes non producuntur ; licet res esse potuerit, auctoriter, non fuisse existimatur probationis defectū. Ea denique, quæ relata à Dino ex Avito Viennensi nobis etiam reponit, nec ad rem, nec vera sunt. Nam quæ ex Sanctis Eugeniâ, Theclâ, & Sixtô, quantum ad eorum sanctitatem, & martyrium referunt universæ Ecclesiæ calculo confirmata sunt; neque est circunstantia Historica, de quibus loquimur. In allegato verò Aviti Viennensis textu hæc falsa reperio: i, silentium Patrum de Actis S. Theclæ. Audi, erudite Sousa, Romanum Breviarium, in ejus festo sic loquens: *Thecla::: à Paulo Apostolo præceptis instituta, miris Sanctorum Patrum*

trum laudibus celebratur. Vide etiam Basilium S.
 leucensem integrum de S. Thecla Homiliam pro-
 tulisse; ut omittam S. Methodium, S. Augustinum,
 S. Ambrosium, S. Gregorium Nicænum, Nacian-
 senum, Chrysostomum, aliosque Patres, ex quo-
 rum elegiis, & dictis vitam S. Theclæ composuit
 Tillemontius, quæ extat tom. 2, partis 1, fol. 107,
 & notis illustravit à fol. 353. ad 357. 2, falso
 invenio, de S. Sixto Romæ Episcopo nullam apud
 Patres fieri mentionem; S. enim Ambrosius in lib.
 I Officiorum cap. 41, ejusdem meminit: & quæ
 de ipso protulit in Breviariō Romanō leguntur
 die 13, Augusti, iis verbis: *Non prætereamus S.*
Laurentium, qui, cùm videret Sextum Episcopum suum
ad martyrium duci, flere cœpit, &c. Quæ denique de
 S. Eugeniâ Avitus protulit, majori expressione in-
 digent, ut aptè respondere possim: tres enim Eu-
 genias novi ex primo Semestri Actorum de Sanc-
 tis, S. Eugeniam nempe Cenomanam, Virginem,
 & Martyrem ad diem 7 Junii, S. Eugeniam, Mar-
 tyrem in Africâ ad 3 Jauuarii, S. Eugeniam de-
 rum Nicomedensem ad 16 Martii, ac deni-
 que alteram ejusdem nominis refert Romanum
 Martyrologium ad 25 Decembris. Cùm itaque
 mihi constet, de qua loquatur Avitus, aptâ cona-
 bor responsione ostendere, ejus textum meam sen-
 tentiam non impugnare.

197. Tertium argumentum, quod sibi eruditus Sousa solvendum proposuit, paucis accipe. Acta, ex quibus sunt erutæ Breviarii Lectiones, non sunt syncera, sed corrupta: nullius itaque sunt fidei. Reponit, quædam Bollandi verba in præfatione Generali ad Acta Sanctorum sic loquentis: *Authorem profero, qui assentit; Habet, qui neget? Si habes; utri potior fides? Si non habes; & fieri posse fatigaris; vide, ne temerarium sit negare esse factum.* Quando igitur nulla authoritas, nulla ratio inevitabilis resistit, quare non habebimus fidem? interrogat Dinus. Novissimè, addit, defenduntur ab Odoacre Ilbachio antiqua Acta. Ac denique, affirmat, omnia, quæ in Breviario sunt, ex priscis, & probatis authoribus fuisse deprompta, ut Urbanus VIII in Bullâ Breviario præfixâ asseruit.

198. Expositum argumentum iisdem ferè vitiis, ac præcedens laborat. Neque enim illò usi sumus, nec indigemus: nec verò unquam ita in universum Sapientiores Critici loqui possunt de Breviarii Historiis, cuius, etsi respuant aliquas, plures synceras existimant. Bollandi verba ad rem non sunt: sequens enim, quam præscribit, regulam, factum nullum negandum existimo, nisi sit pariter idoneus author, qui neget. Cùm verò præfero Breviarii Historiis alias, quæ ibidem non leguntur, non aliâ de causâ id facio, nisi quia eas posteri-

tioribus authoribus, aut monumentis nixas existimo. Cur non credam, interrogas cum Dino, cum author idoneus mihi non videtur? Cui interrogationi aliâ respondeo: cur potius credam non idoneo authori? Fieri potuisse, non dispuo: sed accidisse sine idoneo authore nunquam asseram, Logisticorum placita infringere timens.

199. Actis ab Odoacre Ilbachiô editis Continuatores de Sanctis tom. 5 Julii ita reposuerunt: Erunt fortasse, qui à nobis apologiam expectent, adversus ea, quæ non ita pridem vulgavit Odoacer, quidam Ilbachiüs, in Actis Sanctorum discernendis, aut vindicandis ut minimum summè peregrinus. Odiosas is controversias, ab annis ferè triginta extinctissimas, lævo prorsus sydere renovavit: ipsum nos, dum longè utilioribus occupamur, ad tunc abundè dicta, probataque remittimus. Quæ si sufficere non existimet; adeat; obsecro, librum apologeticum ab Eminentissimo Card. Baronio, sub Antonii Gallonis nomine, anno MDCIV Romæ editum, & Clementi P.P. VIII inscriptum, ad Constantinum Cajetanum, ex Breviario S. Gregorii Monachatum Benedictinum adstruentem: ubi quid de Breviario, & consequenter de S. Catharinæ contractis in eo Actis censemendum, nisi volens cœcutiatur, apertissimè perspiciet.

200. Quarto sibi proponit Nicolaum Antonium, Ludovicum Vives, Melchiorem Cano, Pap-

Depririum Massonum, Ambrosium Morales contra ientientes. Quibus duo reponit : primum, de Bre*v*iario Romanô non loqui: secundum, ante Urbana*m* correctionem fuisse loquutos. At neutrum verum est. Atque imprimis gratulor , Ambrosium de Morales Sousæ opinione nostris annuerandum. Deinde Ambrosius de Morales, Melchior Cano, cæterique laudati authores de omni Breviariô loquuntur, nec Romanum exipiunt : de illo itaque etiam loquutos fuisse , asserendum est. Præterquam quod eodem in sensu illos intellexerunt quotquot ante Sousam de his rebus tractarunt.

201. Ante correctiones loquutos fuisse Ambrosium de Morales, Cano, Massonum , & Vives, utpote iis antiquiores, non dubito. Sed rationes, quas afferunt, etiam post correctiones vim eandem retinent. Quocirca Nicolaus Antonius post illas idem docuit laudatis clarissimis authoribus à me productis. Quid demum eruditus Soufa reponet Benedicto XIII, Cardinalibus Rocaberti , & Bonæ, eruditissimis Henschenio, Papebrochio , cæterisque Continuatoribus? Quid demum nostris Ferreras,& Segura hōc sœculo jam loquentibus de Breviario Romano, & post correctiones?

202. Quintum argumentum ex mutatione Breviarii per correctiones factâ sumpsit : cui

reposuit, emendatum nunquam fuisse in his
jussu Romanorum Pontificum eidem fuerant in-
serta; sed solum in correctionibus fuisse expuncta
menda, quæ typographorum incuria, & hominum
audaciâ ibidem irreperant. Addit confirmationis
ergo 1, ex privatis Breviariis nihil contra Roma-
num Clementino-Urbanum inferri: 2, Breviaria
correcta fuisse non criticorum audaciâ; sed Ro-
manorum Pontificum authoritate: atque etiam ab
omnibus Pontificibus, qui ab Urbano VIII usque
ad nostra saecula floruerunt, usum ejusdem Brevia-
rii præscribentibus, fuisse probatum.

203. Rem hanc, quam superius pluribus
capitibus tractavimus, jejunè nimis eruditus Soufa
attigit. Ex ibidem dictis quanti faciendum sit hoc
argumentum, constare puto. Sed tamen hic bre-
viter reponere juvat, solutionem, quam præbet,
esse falsissimam. In correctionibus enim Clemen-
tinâ, & Urbanâ non modo typographorum erro-
res, quosque hominum audacia in Breviariis in-
truferat, fuisse correctos, sed etiam Historias, quæ
bonâ fide aliis temporibus legebantur, quo-
rum falsitas apertè constabat. Quæris fortasse, uni-
de id acceperim? Ex iisdem Correctoribus, atque
ex collatione Breviariorum antiquorum cum Ca-
mentino, & Urbano. Hanc instituere hic, lon-
gum esset: quilibet tamen, cui hujusmodi libri ad
manus

Primum fuerint, obvia res erit. Sed tamen audi Gavantum, perspicue veritatem eandem asserentem:
 Lectiones ex Historiis Sanctorum fuerunt à Cardinalibus Bellarmino, & Baronio recognitæ, & approbatæ
 sub Clemente VIII, qui rejecerunt ea omnia, quæ jure
 merito revocari poterant in dubium. Probat etiam ex-
 clusio plurium Historiarum, aut reformatio earun-
 dem post correctionem facta. Quod si asseras, ejus-
 modi exclusiones, aut reformationes exclusarum
 rerum falsitatem non probare, quia aliis de causis
 fieri potuerunt; eadem tatione reponam & ego,
 nec inclusionem, nec insertionem in Breviariō pro-
 bare insertarum Lectionum veritatem. Ea de-
 dum, quæ confirmationis gratiâ addidit, parùm
 dilucidant veritatem. Estò enim ex peculiaribus
 Breviariis ad Romanum illatio non teneat, at quæ
 dixi, utrisque conveniunt: nec in peculiaribus Bre-
 viariis moratus sum. Estò etiam quod Breviaria
 correcta sunt non criticorum audacia, (verbo sit ve-
 nia) sed Romanorum Pontificum authoritate.
 Quid autem approbationes hujusmodi operentur,
 integra sectione ostendi. Nec quidquam virium,
 quod subjungit, prædictis addit: nimirum, ex tem-
 pore Urbani VIII usque ad nostrum quotquot ex-
 itere Pontifices, usum Breviarii præscribentes, idem
 probasse. Nam à tempore, quo in Ecclesiâ Ro-
 manâ legi cæperunt Lectiones de Sanctis, Pontifi-

ces omnes, qui usque ad S. Pium floruerunt, n.
mero plures, usum eundem præscribentes, dicendi
essent ejusmodi Lectiones probavisse; atqui hoc non
obstitit, quominus S. Pius, Clemens VIII, & Ur-
banus VIII probatas Lectiones correxerint, atque
etiam ut in iis esset, quod corrigi posset: itaque
post probationes, quas Clementino-Urbanum Bre-
viarium habere potest, adhuc illud ulterius corri-
gi posse, fatendum est.

204. Assertione 3, sect. etiam 3. à num.
2798 usqne ad 2843. argumentum 6. sibi sol-
vendum proponit, quod quidem multiplici ex ca-
pite resultat. Objicit enim sibi plurima facta, in
quibus posse Breviarium corrigi, autumant erudi-
ti: ut, puta, causam secessus S. Brunonis in ere-
num, appulsum Sanctarum Magdalenæ, & Mar-
thæ in Provinciam, Apostolatum S. Dionysii Areo-
pagitæ Parisiis, casum S. Marcellini, nobilitatem
S. Catharinæ Senensis, Historiam S. Venantii, Bap-
tismum Constantini, Canonicatum Regularē S.
Augustini, Translationem corporis S. Bartholo-
mæi ex Benevento in Insulam Licaonicam. Sed
hæc omnia argumenta, ne tot dissertationes effi-
ciam, quot sunt hæc facta, unicâ ratione expe-
diam. Fatendum est utrique nostrum, ejusmodi
facta valdè controversa esse inter Eruditos pariter, ac
probos viros. Ergo certum non est, nec probabi-

res quodcumque ex his in Breviariis legimus. Nec regula erit ad Historiam rationis dictamine scribendam, rem valde dubiam pro certâ supponere. Imò ex iis fatendum est eruditissimo Viro, quod nos ex Melchiore Cano cap. 3. exposuimus, non nulla scilicet ex insertis in Breviario apocrypha esse; incerta, levia, falsa: nam & pleraque credibilia, ac vera sunt, quædam etiam certa. Eadem novissimè complexus est Eruditus P. Dominus Joannes Sianda à Monte Regali Congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis in Lexico Polemico, Romæ edito anno 1734, tom. 2, controv. 4. fol. 234, ubi agens de Æra Nativitatis Christi, hæc ad rem nostram opportunè protulit: *Cæterum Ecclesia, licet unam acceptasse chronologiam (ut ex Martyrologio 8, Kal. Januar. constat) videatur; nihilominus cæteras chronologias, quarum unaquæque suum respectivè babet fundamentum, non improbat. Imò etiamsi aliquos irrumpe leves errores in materia chronologica passim comprehendat, eos tolerat, agitur enim de rebus levis momenti.* Hinc est, quod in Æra vulgari assignanda, ferè quotquot authores scriperunt, tot inveniuntur discrepantes sententiae: undè fit ut biennio, triennio, quadriennio, vel etiam quinquennio maturius, vel tardius, Christi mortem contigisse, diversi diversa sentientes scribant autores.

205. Denique argumentum contra nos proponit,

ponit, quo universam claudit dissertationem, ex er-
dito Viro Honorato de S Maria depromptum lib.
1. reflexionum ad regulas Criticæ, dissertat. 2. art.
15. §. 2, ubi redarguit Launoyum, Tillemontium,
Baillet, Tiers, Fleuri, & Dupin, quod in Theoria
scrupulosi nimis sint, ne factis, quæ in Breviariō
leguntur, statim credant; in Practicā verò sine
ullis religiosis stimulis prædictis Lectionibus, ac Of-
ficiis utantur. Non enim, ait, proprias opiniones
sequuntur, cùm Lectiones Breviarii legunt, ut
pensum Deo debitum persolvant. Cur non edunt
aliquod Breviarium ad proprium placitum, juxta
regulas, quas sibi in scribendo proponunt? Aut ita-
que, bonus Honoratus concludit, hujusmodi His-
torias falsi criminari desinant, aut recitare, quibus
Ecclesia utitur.

206. Rationem hanc probare nimis, nemo
non videt. Nonne in Ecclesiâ legimus Patrum
opera, & tamen sententias illas, quibus inter se dis-
sident, singulas veneramur; credimus tamen iis
tantum, quibus veritatem inesse putamus. Asce-
ticos libros, quibus omnes Christi Fideles juvan-
tur plurimum, legimus, & suscipimus; singulis ve-
rò, quæ continent, pro suo peculiari meritō assen-
timur. Ex Cardinali Turrecremata, cæterisq[ue]
Theologis usum Lectionum ab earum veritate dis-
tinxi mus. Illum præscribi, hanc non asseri ab Ec-
clesiâ,

siâ, ad naufem ulque probavi. Quapropter redargutionem Honorati contra eruditissimos viros non capio, qui ut bcnii Catholici Breviariis utuntur, quæ Ecclesia vel præscripsit, vel indulxit; cùm nulli privato liceat, nec unquam licuerit, Breviaria pro libito cudere. At usus hic stat cum opinione oppositâ de veritate Lectionum: eo planè modô, quo Confessarius, qui putat falsam esse Pœnitentis opinionem, aliâs judiciô reflexô probabilem existimatam, se cum illo conformare tenet. Eô item modô, quo probabilibus promiscuè utimur. Eô denique, quo aliorum placita, quibus non credimus, & legimus, & referimus. Neque enim de credendis Lectionibus, quas recitamus, de Sanctis, ullum præceptum unquam extitit. Quocirca redargutio ab erudito Honorato exhibita quomodo convenire possit, & eruditos authores stringere, non video. Ad alia argumenta solyenda, ab erudito Soufa omissa, jam pergo.



CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

*ARGUMENTA, QUÆ D. PETRUS
de Messa pro Sôusæ sententia de novo
protulit, examinantur.*

207:

ERuditus vir Dominus Petrus de Messa Benites de Lugo librum edidit, Matriti cufum apud Alphonsum de Mora anno 1737, in quo dubium à Bollandistis Continuatoribus expositum, ut certis monumentis ab iis, quorum interest, dilucidaretur, de Profapia S. Dominici ex Guzmanorum nobilissimâ progenie, evanescere, & solvere satagit. Eō in opere primum, quod exhibet argumentum, ex Breviariō depromsit. Ut verò hujus ratiocinii vires ostenderet, bonam partem tomi in quarto editi in probandâ Breviarii veritate insumpsit. Plurima, quæ continet ex peculiaribus factis, valdè inter eruditos controversis, missa facio, cùm nostra, nec quæ vult, probent: satis enim Bollandi Continuatoribus erit, si incerta æquè sit nobilitas S. Dominici, ac habetur Baptismus Constantini, Lapsus Marcellini, & cætera hujus generis. Mitto etiam Historiam Breviarii, quam exhibet;

nam hæc , in quibus ab exposita primô à me cap. dissidet, aut Lectionum non est, aut à veritate recedit. De his verò, in quibus à Bollandistis in propria S. Dominici discedit, non moror; cùm non nulla Pseudonomo scripto reposuerit , quidam eruditissimus nostræ Hispaniæ vir , in Philosophicis , & Theologicis satis notus, sub nomine Parrochi de Morilla; atque etiam, quia omnes fatemur ex communi horum sæculorum sententiâ S. Dominicum Domui inclytæ Guzmanorum adscribendum. Argumenta tantummodo , quæ ad Breviarii Romani vires probandas protulit, examinare meum est , ut integra harum rerum tractatio haberi possit.

208. Suppositâ itaque Breviarii Historiâ, quam texerat , sic primò arguit, discriminem considerans, quod inter Critorum , & Correctorum Breviarii examina , & Analysim existit. Si ex parte materiæ considerentur, statim patet quantum inter privatam Historiam, atque eam, quæ publicis Dei laudibus inservit , intercedit. Cùm enim omnibus prohibita æquè mendacia sint , quantò magis illi ea vitare debent , qui ad hoc solum probantur electi, ut servire specialiter debeant veritati. Quâ quidem in re egregiè D. Thomas 2 2, q. 93, art. 3 ad 1, ita loquitus est: *Cultus continens falsitatem non pertinet propriè ad Dei invocationem.* Addit tex- tum Augustini, à nobis solutum aliàs. Ac denique

præ oculis haberi vult Concilii decretum ; cura Pontificum , Doctorum eruditionem , scientiam , pietatem Breviarium condentium : quæ omnia longè distant à privatis , & Bollandistarum præcipue , examinibus . Quod si falsa quædam in Breviariis essent , Ecclesiæ tribuerentur ; at licet in aliis authoribus eadem minus vera reperiantur , Ecclesiæ minimè tribuuntur .

209. Differunt etiam , quantum ad crisim attinet , eadem examina : nunquam enim à Gellatii tempore apocrypha in Ecclesiis publicè lecta sunt . Quapropter ad vigesimam Martii animadverterunt Bollandistæ , expunctas fuisse ex Breviariorum Lectiones , quæ in S. Joachimi festo legebantur , in illarumque locum suffectas fuisse , quæ ex S. Damasceno in eodem legimus Festō . Sed tamen Bollandus fatetur , plura apocrypha ab ipso edita . Idem argumentum in Anonymis fieri potest , quorum nulla in Breviariis reperiuntur , Adriano I hanc veritatem testante ; cum tamen plura hujusmodi in opere de Actis Sanctorum reperiantur . Quocirca rigidiorem criticam à Correctoribus , quam à Bollandistis adhibitam fuisse , fatendum est .

210. Si actus demum consideres , quibus hæc exercentur examina , nil amplius desiderari potest . Nam in reliquis Historiis unum tantummodo , licet exactissimum , examen adhibetur ; in

ctionibus verò Breviarii examinandis tria extitunt, incredibili adhibitâ diligentia, neque alteri comparanda. Hæc sequuta est Ecclesiæ approbatio.

Et concludit perillustri loco D. Bartholomæi de Torres, Canariensis Episcopi, quo nullum errorem in Exercitorum libellô, à S. Ignatiô editô, inde colligit, quod post diligens examen non semel fuerit ejus doctrina ab Ecclesia approbata. Alia addit non hujus loci.

211. Huic argumento, ex eruditô Sousa fere petito, nobis obvia responsio est ex hucusque dictis; laborat enim inter alia suppositi falsitate. Etenim, ut vires haberet, dandum esset, in correctionibus Clementinâ, aut Urbanâ examen suisse institutum, ad ea, quæ inter authores controversa essent, censoriâ virgâ dirimenda. Gavantus enim, ex Correctoribus unus, nos docuit, in Lectionibus corrigendis minimâ, qua fieri posset, mutatione, eam peragere decrevisse. Quapropter in iis, quæ probabilia erant, nihil mutandum, duxerunt; etiam si scirent probabiliora esse, & à pluribus teneri, quæ relictis erant opposita. Posse etiam Breviarium corrigi his adjunctis adminiculis, & principiis, quibus Correctores caruerunt, dupli capite est perius ostensum. Singula jam, quæ in arguimento adduntur, considerare pergo.

212. Mendacium nullum, nec ullam for-

malem falsitatem in Breviariis reperiri, ostensu
est, atque etiam ex Gersonio dictum, quomodo
hæc sine periculo mendacii à fidelibus attingan-
tur. Locum D. Thomæ, vel ad rem nihil, vel
multum concludere. Si enim nulla, neque for-
malis, neque materialis falsitas in his reperiri po-
test, quæ ad Dei cultum pertineant, indubia, &
certa, ut res fidei, hæc erunt. Quod ne des, hæc
suadent. 1. Historiæ illæ, quæ ante ultimam cor-
rectionem legebantur, expunctæque sunt per cor-
rectores, cùm adhibebantur ab Ecclesia, num fal-
sitatem continerent, percontor? Si afferas, idem
de illis afferere, quæ modò leguntur, quis prohi-
bet? Si neges, subinferam, indubia omnino in-
juriâ ab Ecclesiâ fuisse expuncta. 2, tu afferis num.
380. cum Baronio, & Pagio ea, quæ in Breviariô
sunt, relinquì Apostolicâ lance libranda: *Omnia
probate; quod bonum est, tenete,* à Gellafio adhi-
beri permisâ. Itaque D. Thomæ doctrinam & tu
limitare teneris.

213. Quid respiciat Romana Ecclesia, quid
ve credat in Sanctorum cultu exercendo, exposuit
idem D. Thomas quodlibet. 9. art. 16, his verbis:
*Cultus, quem Sanctis exhibemus, quedam professio fidei
est, qua Sanctorum gloriam credimus.* Beatitatem ita-
que, qua jam Sancti perfuruuntur in Cœlis, non
privata eorum Acta, quæ egerunt in terris, in
Sancto-

Sanctorum cultu credimus: atque hoc pacto con-
iunctio planè est, & constans D. Thomæ doctrina
his duobus locis, atque in rem nostram trahi non
potest.

214. Eandem doctrinam tradidere Fran-
ciscus Rus Puerta tract. pro Sanctis Dioecesis Gien-
nensis punto 3. num. 8. *La veneracion, y culto,*
que se da à un Santo natural, no mira à el Santo, en
quanto es natural, sino en quanto es Santo tenido por
tal, y venerado de la Iglesia. Atque etiam Echardus
Bibliothec. Prædicatorum, tom. 2, pag. 893, asserit:
In examinandis Sanctorum actis non nisi per accidens, &
secundariò discuti nobilitatem generis, eamque obiter
comprobari, dum processus Canonizationis instituitur, vel
Officium in festivitate alicujus Sancti recitandum admit-
titur, atque exemplo probat S. Francisci de Borja. At
in exemplis veritas non requiritur. Ex his itaque
doctrinis constat, quid respondendum sit D. Tho-
mæ authoritati. In Sanctorum cultu eorum His-
torias, quæ circumferuntur, non respici ab Eccle-
siâ, animadvertisit etiam Serarius Litaneutico 2, q.
16. num. 2, & vigesimâ, num. 3. ubi hæc habet:
Non ideo ex hominum numero removendum quemquam,
quia vanæ, & mendasæ de ipso narrationes. E Ca-
policis non desunt docti, diligentes, Christianæque an-
tiquitatis scientissimi, qui in hujuscce generis emacu-
landis maculis laboraverint, hodieque laborent agnovis-
sime.

simè. Locus Augustini Iolotus alibi manet
 215. Gratis additur, majorem longe ruric
 eruditionem Correctorum eā, qua plurimi florue-
 runt elapso, & nostro sēculo, qui suos labores ubi
 desierant veteres, incēperunt. Quantūm Baroniana
 critica perfectiores redditi sint Annales Baronii,
 nemo non novit: quantūmque illustriores Histo-
 riæ Sanctorum redditæ fuerint Bollandistarum la-
 boribus, universa Literatorum Respublica maximā
 sui utilitate sentit. Quod denique huic loco addi-
 tur, tribui Ecclesiæ, si qui fuerint in Breviario er-
 rores, falsum est; cùm in Ecclesiâ ab Adriani I
 temporibus, in fide authorum & recipiantur, &
 legantur hujusmodi Historiæ.

216. Quoad criticam in correctione adhi-
 bitam primò asserit, apocrypha nunquam in Ec-
 clesiâ Romana à Gellasii tempore fuisse lecta; at
 ego exemplo, quod subjicit, rem nego. Nam si
 verum est, lectas fuisse usque ad tempora S. Pii V
 in festo S. Joachim Lectiones secundi Nocturni
 ex apocryphis manifestum est, non semper con-
 trarium viguisse usum. Gellasii Decretum solum
 asserit, singulari cautelâ non legi eo tempore in
 Ecclesiâ; sed postquam legi cēperunt Lectiones de
 Sanctis, utrum ex apocryphis fuerint bonâ fia-
 sumptæ aliquæ, eo decreto non excluditur. Usum
 hunc

nc, ut neque ex apocryphis, neque ex Anony-
mis a temporibus Gellasii, aut Adriani I Lectiones
sumerentur, usque ad nostra fluxisse tempora, ægrè
probabis: minùique evinces, omnia hujusmodi, si
quæ fuerunt, correctionum beneficio fuisset expunc-
ta. Demum, licet omnia ex Notis authoribus de-
sumpta fuissent, fieri posse, quis neget, ut tempo-
rum decursu eorum fides, vel omnino minuta fue-
rit, vel planè interierit? Quibus quidem in casibus
Historia ex his in Breviario collacata ejusdem ge-
neris erit.

217. Comparatio, quam instituit inter cri-
ticam Correctorum, & quæ usui est Bollandistis,
ad rem parùm facit; utrique enim optimâ proce-
serunt viâ, fini utrorumque respondenti. Promis-
serunt Bollandistæ omnia, & singula Sanctorum
Acta exhibere, sive Anonyma, sive Nominata,
quæ ad ipsorum venissent manus. Quod quidem
præstant mirâ crisi, ac singulari delectu, quibus
pretiosum à vili separant. Rei itaque infractæ fidei
essent, si Anonyma, vel apocrypha omitterent.
Correctorum verò finis longè diversus fuit. Nun-
quam in animo habuerunt probabilia ex Breviarii
excludere, salvaque voluerunt Catholicorum opi-
namenta in his, in quibus rationum ponderibus
dissidebant.

218. Historias Breviarii triplici examini
sub-

subjectas asserit: quod verum non est, si de controversis Sanctorum gestis sit sermo: cùm veritas horum Historica examinata nunquam in correctionibus reperiatur. Disputatum verò inter Correctores aliquando est, an retinendæ essent harum Historiarum nonnullæ, ut de Actis S. Andreæ ab Achajæ Presbyteris descriptis retulit Bellarminus. At hæ, & hujusmodi controversiæ inter Correctores agitatæ, sententiam nostram magis confirmant. Gratis asseritur in universum, unicō examine hæc à Criticis expediri. Licet verò id daretur, res à plurimis Criticis diversis temporibus pluries essent examinatæ, quàm tria laudata Correctorum examina. Quoad Bollandistas attinet, quantum studii, & diligentia in his fuerit ab ipsis impensum, ipsa eorum opera probant. Quæ postquam summâ diligentia edita sunt, sequentibus libris corrigenda postulant, si quæ animadvertiscunt ipsis excidisse. Si examen itaque cum examine conferas, Correctorum certè authoritate, & jurisdictione præstabit: studiō, diligentia, lumine, aut doctrinâ affirmare non ausim. Vereor enim, ne manifestam injuriam eruditissimis Viris inferam. Sequutam fuisse approbationem Ecclesiæ quoad Lectionum veritatem, falsum est, ut integrō probavi capite. Locus denique Ill. D. Bartholomæi de Torres Canariensis Episcopi de Exercitiorum libello ineptè prorsus ad ea,

de quibus disputamus, trahitur. Liber enim hic non Historia, sed Doctrina pietatis est, in qua & examina, & approbatio Pontificum suminè concludunt. At in re nostrâ nullæ extant approbationes veritatis assertivæ.

219. Argumentum 2 sic exposuit: cogitant Critici, Historias Breviarii non ex Ecclesiæ approbatione, sed ex earum authoribus veritatem habere. Sed hoc falsum nimis: nam D. Thomas 2, q. 10. art. 12, ita ait: *Ipsa doctrina Catholiconrum ab Ecclesia autoritatem habet: undè magis standum est authoritati Ecclesiæ, quam authorati Augustini, aut Hieronymi, vel cuiuscumque Doctoris.* Non quia gravis non sit Patrum horum authoritas, sed quia his Ecclesia eminet, quæ veritatis columna, & firmamentum est. Neque alios libros Canonicos habemus, nisi quos probavit Ecclesia. Atque ita confirmat: non aliâ de causâ publicis instrumentis major exhibetur fides, nisi quia in Officiali publica residet authoritas. Quid itaque de rebus judicabimus, quæ Princeps ipse Reipublicæ caput testatur? in hoc nulla cadit suspicio: si des ejus nullo minui potest. Quapropter cum nullus in Mundo sit Princeps, cui in his rebus plus dei debeatur, quam Romano Pótifici, cōsequens est, ut quæ afferit, indubia censeamus. Et quamvis eadem non testaretur, sed tantùm approbaret, ob re-

sultantem inde præsumptionem idem dicendi foret. Quæ cùm ita sint, quid judicandum erit, cùm ad Lectiones Breviarii proponendas tot examina præcesserint, tot diligentia in indaganda veritate sint adhibitæ? Profectò cum Patre Augustino de Herrera, & Ill. Saufay, sine temeritate negari non posse, concludendum est.

220. Hoc totum argumentum salebrosum nimis, ac sibi inconstans mihi videtur: vel enim res fidei esse, quæ in Breviario leguntur, concludit; vel ferè nihil stringit. Qua verò ratione Critici ducantur, ut Lectiones Breviarii ex authoribus veritatem sumere afferant, duobus id capitibus expeditum est. Textus D. Thomæ de Doctrinâ Catholicâ loquitur; jam verò Breviarii Historiæ doctrina non sunt, vel ad summum, Catholicorum, non Catholica: eâ ferè distinctione, qua inter Theologos maximè distinguuntur doctrinæ, quæ in Catholicâ docentur Ecclesiâ, ab his, quas ipsa Catholicâ Ecclesia docet. Maximè verò præstare Catholicam Ecclesiæ doctrinam singularibus. Partium placitis, Catholicus nemo negabit. Confirmatio, ex publicâ autoritate in Romano Pontifice residente petita, tunc concludet, & disputantium os claudet, cùm exhibitum fuerit Romanorum Pontificum vel unum Decretum, quo dilucidè probetur, hæc ab illis affirmari eâ authoritate, qua Dei Ecclesie

clesiā gubernant. De curis demum ; ac diligenter in Breviarii correctione passim ponderatis, superius ego plurima retuli.

221. Argumentum 3 his verbis expono! Regula juris est ex Clementinā i de re judicata; ut res tribus definita sententiis in rem judicatam transeat, de qua amplius quæri non possit. Cui legi concordat Pragmatica Matritensis die 10 Februarii anni 1623 edita ; atqui tribus est sententiis Breviarium probatum, sive ejus Historiæ: ergo de illis ambigi non potest. Addit: semper ac producta fuissent argumenta positiva contra id, quod tribus sententiis receptum est, admitti debere: quoniam veritas, nec tempore, nec loco præscribitur. Sed contra tot examinibus probata locus non est argumento negativo. Atque concludit verbis Angelici Doctoris in expositione ad i Epistolam ad Corinthios cap. 4. v. 16, ubi S. Doctor asserit: *Siquis autem rationibus prædictis non acquiescat, sed confidentia clamoris veritatem impugnet, hoc sufficiet ad comprimentum talem: si nulla est ratio, hoc solum debet sufficere, ne aliquis ageret aperte contra communem Ecclesiæ consuetudinem; dicitur enim Psalm. 67. Qui habitare facit unius moris, in domo; undè Augustinus dicit, in Epistola ad Casulanum, quod omnibus, in quibus ill certi definit Sacra Scriptura, mos Populi Dei, que instituta majorum, pro lege habenda sunt.*

222. Cùm rem tribus definitam sentent ex jure Pontificio, & Regiō probasti in judicatam transire, verebar pariter ne velles, rem etiam extra dubium relinqui. Sed tu idem arma profers, quibus hæc machina ruit. Limitas enim, & quidem rectè, cùm de veritate perquirenda est sermo, contra quam nec tempora, nec loca præscribunt. Sed in his sumus, in quibus si argumenta ex instrumentis, ac authoribus suam vim retinent, etiam ego rem teneo; cum non aliàs à Breviarii Historiis discedendum, asseruerim. Argumentum negativum, si ut par est, formetut, valere etiam plurimùm suprà ostendi, non contra rerum humana- rum, aut contractuum possessiones, sed contra opinio- nes ipsas, quarum nulla ita possidet, ut fortiori ra- tione impeti, & elidi non possit. Neque adeò cer- ta sunt, quæ ex juribus profers, ut nullum reme- dium post tres sententias suppetat ad vera jura de- fendenda. Si enim nova instrumenta, aut convin- centes probationes de novo afferantur, peti potest restitutio in integrum ab iis, quibus competit, & ab aliis oris apertio ad litem de novo instituen- dam, ut res ad antiquum statum devolvatur. Quod si ita est, similia pro nobis dici possunt, cùm veri- tati majores exceptiones, te fatente, competant. Se- quid multis? ab initio probavimus, veritatem His- toriarum, de quibus nobis sermo est, in correctio- nibus

bus quæsitam non fuisse; nec item propterea verum erit, tribus sententiis examinata, & probata fuisse quæcumque in Breviariô de Sanctorum Historiis leguntur. Demum assumpti proloquii veritas existit, cum judicij forma servatur, audiuntur partes, res ex professo, & directè examinatur: horumque finis est veritatem, de qua controvertitur, inquirere: atqui nec Correctores judiciali forma in his processerunt, nec illis cura demandata est, horum veritatem indagandi: neque examen, de eadem inquirendâ Historicâ veritate, institutum. Quapropter à proposito quam maximè expositum dicitur principium.

223. Verba D. Thomæ, si quis his rationibus non acquiescat, hoc satis est ad comprehendendum talem, optimè concludunt, quæ S. Doctor eodem loco tractat: atque ejus doctrina convincit, satis esse ad corrigendum, & comprehendendum aliquem, quod is agat contra universalem praxim Ecclesiæ. Sed quid hæc ad nostra? quo pacto huic controversiæ accommodantur? si Ecclesiæ praxis in his rebus attendatur, mihi profectò favet, cum à tempore, quo legi in Ecclesiis cæperunt Historiæ de Sanctis, Ecclesiæ usus ferat, ut earum veritas in authores, à quibus sunt desumptæ, referatur.

224. Ex quodam Theologo, quem non nominat, regulas quasdam proponit eruditus D.

Petus

Petrus de Mesa ad Breviarii authoritatem stabi-
liendam. Supponit doctrinam D. Thomæ, quam
superius allegaverat, ubi de sententiis Hieronymi,
& Augustini cum doctrinis Ecclesiæ comparatis,
loquitus fuerat, atque etiam, quam nos ex quod-
libeto 9. cap. 3 retulimus, ubi distinguit in Pontifi-
cū Decretis, quæ ad jus, quæ ad facta, pertinent &
quæ media inter utrumque, de extremis participat. In
his porrò quæ sunt media, quosdam etiam gradus
distinguere, necesse esse, ex Anonymo Theologo
supposuit: in quorum uno ea sunt, quæ ad ritus
Ecclesiæ pertinent. Jam verò cùm Lectiones de
Sanctis ad ritus Ecclesiæ pertineant, harum veritas
concluditur ex attestatione Pontificum suppositâ.
Quod si correcta Breviaria dicantur, atque in nos-
tris non legi quædam, quæ in anterioribus vide-
bantur, quod in correctionibus fuerint explosa, his
reponit, argumentum idem in Sanctorum Canoniza-
tionibus posse formari, cùm Sanctorum aliqui
fuerint ex Sanctorum alvo expuncti, de quibus
alijs festum agebatur: quorum ratio est, utrobique
tolerata, non probata sanctitas, aut Sanctorum ges-
ta iis temporibus. Postea addit locum Cardinalis
de Lugo de fide disp. 20, sect. 3. num. 94: qui
asserit, temeritatis esse, quæ in Breviariō sunt, ne-
gare: & declarat exemplo approbationis doctrinæ
D. Thomè à Christo Dominō. Addit præterea

um. 373, nullam ex his censuris adversarios insurere, sed postea adjicit Sausay textum alias expofitum, concludens eruditos Bollandi Continuatores Breviarii authoritatem laudare ad probandum libellum Exercitiorum à S. Ignatiō compositum: ex quibus infert, si ad illud dubium satis est Breviarii authoritas dirimendum, quantò magis ad rem, quam ex professo tractat.

225. Ut breviter, & dilucidè argumento respondeam, generales doctrinas ex S. Thomâ de promptas libenter admitto, atque etiam Lectiōnum usum ad ritus Ecclesiæ pertinere, profiteor; sed veritatem historicā illarum ab Ecclesia non respici, satis multis dixi. Generalem quamdam veritatem piarum nempe, & probabilium Historiarum pro tempore, quo in Breviariis inseruntur, cum doctissimis Theologis Gersoniō, Suariō, Baronio, & Sagueniō expofui. Exemplo Homiliarum SS. Patrum, quas in Ecclesiis legimus, rem confirmo. Item respondeo, quod si aliquæ Sanctorum Historiæ suppositam cum rebus fidei, aut doctrinis morum haberent connexionem, de his non disputo. At denique probare nimis expofitum argumentum, nemo non videt; certæ enim erunt, & inducitatæ omnes illæ Historiæ, quæ ad ritus Ecclesiæ pertinere quocumque tempore probavimus; atqui quæ ante editionem Breviarii à S. Pio V. legebantur,

tur, & ab ipso , aut per Correctores posterioribus temporibus fuere expunctæ, ad ritus Ecclesiæ pertinebant: ergo illæ eadem indubitatæ etiam sunt.

226. Neque instantia, quam, soluturus hæc, objicit, quidquam virium habet. Multos nempe Sanctos fuisse toleratos , qui postmodum ex Ecclesiasticis Diptychis corrasi sunt. Nam his, & si quæ sunt, similibus, obvia est responsio. Exempla hujusmodi antiquiora sunt iis temporibus, in quibus Canonizationes Sanctorum sibi Romana Ecclesia non reservaverat. Cultus ille ex particularibus Ecclesiis unicè profectus est, & non nunquam ab inconsideratis populi clamoribus habuit ortum. At nullum exemplum hujusmodi reperire potes in Ecclesiâ Romanâ, aut ex consensu Ecclesiarum omnium, ita ut Sanctus aliquis, cui cultus ab universis Ecclesiis datus sit, fuerit postea ex Sanctorum numerô expulsus. Quibusstantibus ad rem nostram , dico, nullam omnino hujusmodi Historiam reperi posse ab Ecclesiâ approbatam , sive quod idem apud te est , Pontificum jussu in Breviariis insertam , quæ ad ritus Ecclesiæ non pertineret. Sed plurima sunt, quæ in antiquis Legendariis Romanæ Urbis legebantur, & quæ in prioribus Breviariis Pii, & Clementis erant, quæ modò non legimus. Argumentum itaque integrum manet. Neque in his tolerantiaz locum esse posse , consequentia

uentia doctrinæ fatendum est ; nisi etiam vellis
in his, quæ modò legimus in Breviario Clementi-
no-Urbano, tolerantiæ , & permissioni etiam lo-
cum esse. Doctrinam, quam ex doctiss. Card. de
Lugo eruis, ipsâ se limitat : loquitur enim , cùm
sine fundamento negamus ea, quæ in Breviariis
legimus. Quòd si à censuris Theologicis tempe-
randum tibi esse ducis, miror profectò, relatam eru-
ditiss. Cardin. doctrinam, & quam subjicis ex Il-
lustrissimo Saufay, protulisse.

227. Non minorem admirationem capio
ex ultima, quam subjicis, ratione : à Bollandistis
nimirum Exercitiorum librum S. Ignatio vendica-
ri ex iis, quæ in ejus Festô leguntur in Breviario.
Id enim etiam ex hoc cap. piæstant; quoniam in
laudatis Lectionibus quid de admirabili libello,
quid de universa ejus doctrina Ecclesia sentiat, ex-
primitur : ibidemque refertur, S. Ignatio adscriben-
dum opus. At non aliter sentire nos posse, ex co-
œvis Actis, & Authoribus demonstravit P. Joannes
Pinches in Commentario prævio ad vitam S. Ignati-
i, qui 7 Julii tomo extat, quemque nobis obji-
ciunt. In primis probat, S. Ignatii opus esse, ex P.
Ribadeneyra coœvo. Probat Confirmatione, quam
curavit eorum fieri S. Franciscus de Borgia Dux
Gandiæ, quam & consequutus est anno 1584 à
Paulo III. Probat approbationibus Cardinalis Bu-

gensis Ordinis Prædicatorum , Philippi Archint
Pontificis in Urbe tunc Vicarii , & Ægidii Folca-
rarii Sacri Palatii Magistri , quibus examen libri
Exercitiorum à S. Ignatio compositi, fuit commis-
sum : atque in hanc rem exhibet originalia eo-
rum vota Ac denique subjicit partem diplomatis
Pontificii, in quo hæc Exercitia probantur. Mitto,
Doctorem Vergara in Epistola data ad S. Ignatium,
Exercitia ab ipso composita probasse. Idem
comprobat Doctor Cuesta in literis ad eundem
Sanctum: & ignorat neino persecutio[n]es , quas ob
hunc libellum S. Ignatius vivus pertulit. Legen-
dus est laudatus Commentarius à § 6. ad 10. Tan-
dem, licet unico Breviarii testimoniō niterentur
Bollandistæ ad probandum S. Ignatium Exercitio-
rum authorem esse, processissent optimè, quia ca-
nonizatio S. Ignatii peracta est præcedente eo ri-
gorofò examine, & formâ, antiquis temporibus de-
sideratâ , & in eâdem examinatum fuisse librum
Exercitiorum, & probatum, ab eodem fuisse com-
positum. Nec rem hanc, ut potè ad doctrinam at-
tingentem, possumus dicere , leviter , & secundariò
examinatam.

228. Denique argumentis nostræ sententia
reponit nonnulla eruditus vir. Gavanti textum à
nobis totâ dissertatione laudatum affert ; sed mu-
silum, & ex illo colligit relecta à Breviariis esse ea
omnia,

nna, quæ jure merito revocari poterant in dubium. Meliorem esse conditionem possidentis in dubiis, adjicit. Jam verò Historiæ, quæ in Breviariō sunt, possident post accurata examina: possident post sententiam. Quod si privato turpe non sit mutare sententiam; judici probro vertitur. Affert, si Deo placet, Cardin. Baronii testimoniū, à nobis num. 46. relatum, atque etiam Pagii testimonium, ubi habet, *in hoc libenter Baronio subscribimus, quæ tamen hactenus abolita non sunt, aliquando abolenda non diffidamus, cùm scilicet inter omnes de eorum falsitate convenerit.* Affert præterea locum Magistri Gravesonii afferentis, judicium de libris Sacris non à privatorum hominum opinionibus, sed ab Ecclesiâ sumendum esse. Concludit demum cum D. Augustino his verbis: *Quisquis falli metuit, Ecclesiam consulat.*

229. Gavanti textum ab ipso allegatum superaddere conveniret, ut integrum de his rebus judicium haberetur: ipse met subjungit, *Quæ controversiae erant, dummodo alicujus auctoritate constarent, recta esse, quamvis opposita teneri à pluribus, Correctores viderent.* De his controversiis loquimur. Moralium, & Historiarum rerum non eadem ratio: quælibet Scientia peculiarem sibi vendicat methodum. A Mathematico demonstrationes exiguntur: satis non sunt,

rationes topicæ. Et Historico , quæ ad Morale & Casuistas satis sunt , non sufficiunt. In dubiis meliorem esse possidentis conditionem non dif- fiteor ; sed proba, hæc, de quibus loquimur , ali- quando veritatem possedisse. Uium quidem in Sacris Lectionibus possident, sed hunc ab illâ dis- tingui, notum satis esse, arbitror. Locus Baro- nii quomodo ad rem nostram trahatur , planè non capio ; cùm apertè ita loquatur : *Cæterū eandem ipsam Romanam Ecclesiam non sicut Evangelium (quod Gellasius monuit) legere consuevisse, vel legenda proponere quælibet Sanctorum Acta, sed potius ea cuncta Apostolici illa lance libranda relinquerent; omnia probate; quod bonum est, tenete.* Idemmet Cardinalis pluribus in locis à Breviario dissidet. Exemplo sit quædam ejus sententia , quam affert ad annum 1 Christi à numeris 52 ad 55, ubi defendit, S. Zachariam Patrem Baptistæ occissum fuisse inter templum , & altare , & de illo loqui Christum Matthæi 12, ubi Judæis prædixit, super ipsos venturum omnem justum sanguinem, ossem effuderant ab Abel justo usque ad Zachariam, filium Barachiæ , ab ipsis inter templum , & altare occissum : cùm tamen in Breviariō in festo S. Stephani legatur Commentarius S. Hieronymi in idem caput Matthæi, ubi hæc habentur. *Alii Zachariam Patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam*

bocryphorum somniis approbantes, quod propterea occissus sit, quia Salvatoris prædicaverit adventum. Atque hæc iententia in eodem Breviariô reprobarur. In Clariss. Pagii loco expendendo non moror; se ipso loquitur.

230. Optimè adjicit, verti probro judici facile mutare iententiam, sed idcirco nullam in his factis afferendis Ecclesiam protulisse iententiam, ego asserui. Libros Canonicos non modò ex Gravesonii sententiâ, sed etiam ex Catholico- rum omnium consentu, non à peculiaribus opinionibus, sed ab Ecclesiâ, autoritatem accipiunt, ajente S. Augustinô, *Evangelio non crederem, nisi Romanæ Ecclesiæ me commoveret authoritas.* Sed Historias Breviarii, non ut Evangelium proponit Ecclesia; (ut ajebat Baronius) sed ut Historias humanas pias, & probabiles. D. Augustini doctrinam, qua concludebat, dicentis: *Qui quis falli metuit, Ecclesiam consulat,* ego in primis adhibui, cùm omnia, quæ hactenus loquutus sum, ex Pontificibus Adrianô, Gellasiô, Piô, Clemente, & Urbanô, ex Praxi Ecclesiæ, ex ejus denique Doctribus haüferim, & didicerim. Quapropter, eruditte Vir, concludere licet, nunquam Bollandi Continuatores somniare potuisse, possessionem deturbare, quam habet tua dé nobilitate S. Dominici in Breviario iententia. Illis satis erit, si tamen

producta à te, sufficere non judicant: de quo ipsis reservo judicium; si concedatur, quod licet magnō rationum pondere nitatur, ex his esse, quæ certa non sunt, de quibus dubitare licet, & dubitationis eruditorum judiciis rationes exponere.

CAPUT ULTIMUM.

SCRUPULI ALIQUI ADIMUNTUR: atque universa dissertatio concluditur.

231.

Alia argumenta attingere, neceſſe est, ne quidquam ex iis, quæ difficultatis alicujus speciem habent, omissum videatur. Primum ita formatur: Gellasius I in cap. *Sancta Romana* afferuit, non legi in Ecclesia Romana Historias Martyrum singulari cautelā, ne scilicet videretur probare prædictorum actorum veritatem; sed Ecclesia Romana modò legit Acta, quæ tunc non legebat: ergo vera probavit esse, nullo que modo suspecta. Major, & minor simplex factum sunt constans, & evidens, & planè consequentia fluit.

232. Difficile aliquibus hoc argumentum
vulum est, & planè esset si subillata consequentia
formalis esset, & ex præmissarum terminis imme-
diatè fluens. Quæ abs dubio sequitur illatio, quam-
que concedimus, hæc est: *Ergo Ecclesia Romana*
singularem illam cautelam, quam tempore Gellasii ad-
hibuerat, planè posuit. Sed ex hac non sequitur:
ergo vera probavit esse veritate, & certitudine
Historica, quæ modo legit. Cautelam illam non
amplius adhibendam Ecclesia duxit: 1 utilitate,
quam videbat in aliis Ecclesiis ex ejusmodi Lec-
tionibus derivari: 2 quia jam cessaverat cauſa, si-
milem cautelam adhibendi. Cùm enim protesta-
ta fuerit ipsomet Gellasii Decretô, quomodo hæc
ab illa legerentur, Apostolicâ nempe lance li-
branda: *Omnia probate, & quod bonum est, tenete,*
cessabat planè vel levis subsannandi occasio, quæ
oriri poterat: cùm ex usu ejusmodi Lectionum,
veritatem non probari ab Ecclesiâ, ex lauda-
tô Decretô constaret.

233. Secundum argumentum petunt ex
approbatione Lectionum, quæ modo concedun-
tur ab ipsamet Rituum Congregatione. Vis in eo
collocatur, quod S. eadem Congregatio, adhibi-
tis Consultoribus, præcedentibus examinibus, ads-
tante Promotore Filiali, negotium peragat. His,
& similibus argumentis respondere ex superiùs
dictis,

dictis, non esset difficile ; sed tamen alia addere juvat. : in approbatione hujusmodi Officiorum S. Congregationem nonnunquam extrajudiciali formâ procedere, atque ad relationem unius Cardinalis oblata Officia concedere : nonnunquam etiam auditur Promotor Fiscalis, & ex omnium votô, & consultatione res peragitur : sed tamen semper antiquus ab Adriano I servatur mos recipiendi, & legendi hujusmodi Historias in authorum fide, à quo sunt desumptæ , atque idcirco notant in prædictarum Lectionum initiis fontes, ex quibus sunt haustæ. Innumera hujus sunt generis, quæ tu in Breviariis rubris notata literis addiscere potest. Rursus eadem S. Congregatio nullam aliam veritatem ad hæc probanda exigit, nisi illa generalis, de qua cum clarissimis Geronio, Suatio, Baronio, & Saguenio dixi : ut scilicet sub ratione piarum & probabilium Historiarum proponi possint. Eadem S. Congregatio plurimum tribuit peculiaribus Ecclesiarum traditionibus , quia similibus persuasionibus juvantur plurimùm populi, proficiunt in virtutibus, & cultu Sanctorum , concessionibus peculiarium Officiorum. Atque his necessaria non est historica certitudo; sufficit populorum fides, suis innocentibus traditionibus suppositis.

234. Demum similibus argumentis respondet

pondet Nicolaus Antonius in manuscriptis posthumis, quæ Bollandi Continuatores ediderunt, ad diem 20 Julii tom. 5, pag. 56, num. 35, ubi ita effatur. Nec opponas, S. Congr. Rituum, instantiante Placentina Ecclesia, summoque viro D. Didaco de Arze Reynoso, Generali Hispaniarum Inquisitore, ejus Episcopo, Lectionem solemnis Officii, quo eadem Ecclesia nunc utitur, S. Epitacii approbasse; in qua is Ambra-
ciae, antiquissimæ Hispaniarum urbis, Antistes fuisse dicatur, à Petro Rotensi renuntiatus. Non enim, quod S. Rituum Congr. indulserit fidelium instantissime suppli-
cantium pietati, tam objiciendum nobis est, quam impu-
tandum credulæ, & parvum cautæ fidelium pietati, quod
absque exactissimo rei examine traditionibus, Scriptori-
busque heri, & nudiustertius natis, imprudenter stipa-
re, Libellos supplices, à Sacraque ista Cong. quæ tradi-
tionibus Ecclesiarum non parum deferre consuevit, im-
petrare, ac, ut verius dixerim, extorquere solent: qui-
bus ad obrussam sani, ac defacati judicii exactis, ne
adversus se ipsa pronuntiet, Veritas testimonium dene-
gat.

235. Ex iis, quæ tota Dissertatione dixi, il-
lud (ni fallor) planè conficitur, principium in re-
bus Historicis, nec minus inter omnia primum,
illud non esse, quod ab eruditô Soufa pro con-
scribendâ Historiâ statutum est. Principia juxta
Philosophum, si prima sint, in alia resolvi ne-

queunt: at veritas Historiarum Breviarii in authores refunditur: & ex ipsis Historias mutuavit Ecclesia. Principium in re historicâ historicè certum debet esse; illud vero ab erudito Sousa expositum, quantum fallat, pluribus est ostensum. Primum denique principium in Historiâ omnia hujus generis & certitudine, & firmitate excedere debet; at ab eruditô prolatum inferius, faltem pluribus, existit. Quapropter machina, quæ his debilibus fundamentis fuerit superstructa, potiorum rationum impetita flatibus, labatur, necesse est. Utilius sanè est pauca de antiquis, sed certa, aut verisimiliora loqui, quam novas cedere leges, ut male stantes, & exoticas de rebus Historicis opiniones teneamus. Atque haec satîs de his rebus mihi videntur animo in contraria non occupato, quique libros, ex quibus collecta haec sunt, legendi laborem sibi sumere noluerit. Abundè sufficiunt, ut aspiciant omnes injuriâ à te affici Eruditos, quod eos appelles *morosos Criticos*, *fortia ingenia*, & his pejora, quibus eruditissimum Virum Danielem Papebrochum numeris 2815, & 2816, & 2817, & 2823, & 2826, & 2832, & 2834, exagitas. Ac tandem cum sententiam mutare, tibi in animo non sit, desine eruditos viros in suo abundare sensu, & terribilamentis metum non incutias iis, quibus nostra opinio placere poterit.

O. S. C. S. R. E.

INDEX CAPITUM.

- P**RÆFATIO AD LECTOREM.
- CAPUT I. LECTIÖNUM DE SANCTIS ORIGO, &
USUS IN ECCLESIA AD NOSTRA TEMPORA. Pag. 1.
- CAPUT II. DIFFICULTATIS NUCLEUS, OPINIO SOU-
SÆ, QUID NOS CONTRA SENTIAMUS. Pag. 13.
- CAPUT III. FIDES, QUÆ LECTIÖNIBUS DE SAN-
CTIS TRIBUITUR, AD DIVINAM NON PERTINET,
NEQUE AD HUMANAM INDUBIAM REDUCI
POTEST. Pag. 18.
- CAPUT IV. VERITAS HISTORIARUM DE SANCTIS
AB AUTHORIBUS, EX QUIBUS SUNT ERUTÆ
UNICE PENDET. Pag. 23.
- CAPUT V. VERITAS HISTORIARUM DE SANCTIS
NULLO MODO ASSESTITUR A PONTIFICIBUS, ILLAS
PROBANTIBUS, AUT PROONENTIBUS AD USUM
OFFICIORUM. Pag. 32.
- CAPUT VI. ERUDITORUM LABORIBUS, QUIBUS
BREVIIARII LECTIÖNES DE SANCTIS CORRECTÆ
SUNT, AD CERTITUDINEM HISTORICAM, AUT
MAJOREM PROBABILITATEM NON SUNT RE-
DACTÆ. Pag. 45.
- CAPUT VII. IN QUIBUS POSSIT BREVIIARIUM
CORRIGI. Pag. 51.
- CAPUT VIII. EXPOSITA A ME OPINIO NULLA
THEOLO-

Theologica censura notari potest. Pag. 63.

CAPUT IX. *Quemdam certitudinis moralis gradum exposita à me sententia attingit.* Pag. 93.

CAPUT X. *Argumentis Sousæ ex autoritate Doctorum Hispanorum, & Lusitanorum petitis fit satis.* Pag. 99.

CAPUT XI. *Ex authoribus exteris suam conclusionem Sousa non probat.* Pag. 105.

CAPUT XII. *Veritatem Historiarum Breviarii ex earum materia Sousa non probat.* Pag. 110.

CAPUT XIII. *Ex formalí causa Lectionum Breviarii earum veritas minus probatur.* Pag. 114.

CAPUT XIV. *Causa finalis, efficiens, & exemplaris Lectionum Breviarii earumdem veritatem non inferunt.* Pag. 122.

CAPUT XV. *De negatiivi Argumenti in rebus Historicis valore, & usu.* Pag. 131.

CAPUT XVI. *Solutionibus, quibus nostra argumenta infringere ntitur, suam assertione non elucidat.* Pag. 150.

CAPUT XVII. *Argumenta, quæ D. Petrus de Mesa pro Sousæ sententia de novo protulit examinantur.* Pag. 172.

CAPUT XVIII. *Scrupuli aliqui adimuntur: atque universa dissertatio concluditur.* Pag. 194.